De Dionis Chrysostomi Bithynicis quae vocantur orationibus quaestiones.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in

Universitate Christiana Albertina Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Wilhelm Clausen,

Tychopolitanus.

KILIAE.

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCLXXXXV.

De Dionis Chrysostomi Bithynicis quae vocantur orationibus quaestiones.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in

Universitate Christiana Albertina Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Wilhelm Clausen,

Tychopolitanus.

Adversarii erunt:

H. Frese, Dr. phil.

G. Haacke, past. vic.

H. Harries, Dr. phil.

KILIAE.

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCLXXXXV.

No. 7.
Rectoratus 1895/96.

Imprimatur:
Dr. Oldenberg,
h. t. decanus.

Patri carissimo

sacrum.

Bithynicas Dionis Chrysostomi orationes viri docti, qui provinciarum Romanarum historiam persecuti sunt, saepius adhibuerunt et ex parte illustraverunt. Sed quia non unius Dionis fata enarrare, sed universum provinciarum statum explicare voluerunt, non nisi carptim utebantur documentis satis memorabilibus, in quibus historia Prusae, qualis per certum temporis spatium fuerit, latet.

Quare consilium est huius dissertationis graviores Prusae casus, de quibus Dio reversus ex exsilio egerit, ita enarrare, ut eos locos, quibus de dioecesi Prusensi, de synoecismo, de aedificiorum cura, de factionibus, quibuscum dimicaverit Dio, de simultate, quae inter Prusam intercesserit et Apameam, explicem, componam, quid ex iis de rebus ipsis concludendum sit, exponam. Denique de significatione vocis ἡγεμών et de tempore, per quod Dio Prusae commorari voluerit, quaeram.

Neque igitur orationes 38 et 39, quippe quae non agant de rebus Prusensibus, adhibebo et omittam orationem 42, quae non ipsa oratio est, sed prolusio orationis [**διάλεξις**], quibus delectabantur illo tempore homines studiis rhetoricis dediti. Item neglegenda erit oratio 46, quae inde a Casauboni temporibus iure suspecta est et si est Dionea, certe priori tempori adscribenda erit.

Restant igitur orationes 40, 41, 43—45, 47—50. Quo t e m p o r e habitae sint, nescimus, cum id tantum constet Dionem Nerva regnante gravi morbo retentum [45,2] a Traiano veniam redeundi in patriam impetrasse [44,12]. Quare ante annum 98 nulla oratio ponenda est, at cui anno oratio 44, quam primam esse orationem Bithynicam videbimus, tribuenda sit, dubium manet. Neque de ceterarum orationum tempore quidquam constat, nisi quod in oratione 48 Vareni proconsulis [48,1] mentio fit et Getae h o s t e s nominantur [48,5].

At bellum Geticum vel Dacicum, quod Traianus anno 101 iniit, anno 107 confectum esse scimus. Vareni autem annus non constat, sed proconsulem eum fuisse primis alterius p. Ch. n. saeculi annis frustra contra Marini, Masson, Marquardt [Römische Alterthümer (1851) III,1,150] negavit Schoenemann [De Bithynia et Ponto provincia Romana pg. 30] et confirmatur oratione 48. Itaque omnes orationes videntur habitae esse post Nervae mortem 98 et ante Plinii legationem 110.

Reputent autem legentes neque Dionis vitam me voluisse enarrare neque Bithyniae provinciae historiam scribere. Dionis enim orationes, quia multis locis obscurae sunt, ratio postulat, ut primum per se examinentur et singulae singulis explicentur. Quod quia mihi proposui, consulto, ne aliena immiscerem, ne Plinii quidem epistulas nisi rarissime ad explicandum Dionem adhibui. Sed quia a Dione exeundum est, spero fore ut vel eis, qui maiora illa suscipient, opera mea utilis videatur. Quam fortasse etiam ei non sine fructu adhibebunt, qui emendationi orationum ex parte misere corruptarum operam dant. Neque enim ausus sum ad emendationem ipse accedere, sed adnotavi secundum Emperii editionem [qua uti hoc tempore par erat in iis orationibus, quas tractavi], ubi a librorum lectione mihi necessarium visum sit cum viris doctis recedere.

A. De dioecesis privilegiis Prusae concessis.

I. 40,10. 1) *εὖ γὰρ ἴστε, ὅτι καὶ τοῖς οἰκοδομήμασι καὶ ταῖς ἑορταῖς καὶ τῷ δικάζειν αὐτοὶ καὶ τῷ μὴ παρ' ἑτέροις ἐξετάζεσθαι μηδὲ συντελεῖν ἄλλοις, καθάπερ οἶμαι κώμην, πᾶσι τούτοις συναίρεσθαι πέφυκε τὸ φρόνημα τῶν πόλεων καὶ μεῖζον ἀξίωμα γίγνεσθαι τὸ τοῦ δήμου καὶ πλέονος τυγχάνειν τιμῆς καὶ παρὰ τῶν ἐπιδημούντων ξένων καὶ παρὰ τῶν ἡγεμόνων.*

‚Neque enim ignoratis et aedificiis et diebus festis et propriis iudiciis eaque reipublicae condicione, qua neque coguntur cives apud alios iudicari neque aliis tributa persolvere vicorum more, omnibus hisce rebus animos civium efferri et auctoritatem populi honoresque et apud hospites peregrinantes et apud principes augeri.'

Hoc quidem loco Dio, postquam impetus propter fabrilem officinam dirutam in ipsum latos a se defendit, falsis adversariorum opinionibus suam de republica bene instituenda sententiam opponit. Manifestum autem est verbis *καὶ τῷ δικάζειν — ἄλλοις* in universum et laudari et commendari iurisdictionis et vectigalium privilegia, quippe quibus et animus civium crescat et auctoritas. Deinde verba, quae his addita sunt: *καθάπερ οἶμαι κώμην*, indicant eam administrationis formam, respici, qua certe paullo ante Dionis tempus carebat Prusa. Vicus enim erat Apamensium, ut videtur, potestati subditus neque propriae *διοικήσει* praepositus. *διοίκησις* enim dicitur et de eis urbibus, quae vicinam

40,10. 3. *ἄλλοις* Val[esius], *ἀλλήλοις* libri. 5. *πλέονος*. *πλέονας* M[eermannianus].

regionem administrabant, et de eis, in quibus sive propraetor Romanus sive domestici magistratus iudicia instituebant [cf. Marquardt 356,5 et 341,2].

Verba igitur illa in universum dicta sunt de optima urbium condicione, neque de ipsius Prusae historia inde quidquam licet colligere. Sed accedit § 33 eiusdem orationis:

40,33. 2) *καὶ μὴν τὸ νῦν συμβεβηκὸς περὶ τὴν ἡμετέραν πόλιν τὸ μὲν ἀληθὲς ἅπτεται πολλῶν καὶ κνίζει τοὺς ἄλλους πάντας, ὅτι δὴ τὰς δίκας ὑμεῖς ἀποδέχεσθε καὶ παρ᾽ ὑμῖν αὐτοὺς ἀνάγκη κρίνεσθαι . . . . αὐτίκα πρέσβεις οἱ χειροτονηθέντες ἐπὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα πόθεν ἀπίασιν; οὐκ ἐκεῖθεν; . . . . . ἢ κύκλῳ περιίασιν, ὥσπερ χαλεπῆς καὶ ἀβάτου τῆς ἐγγὺς ἡμῖν θαλάσσης;*

‚Jam quod nuper de civitate nostra evenit, re vera multos tangit et ceteros omnes premit, quod vos causas suscipitis et apud vos illos iudicari necesse est . . . . quid? legati ad id ipsum electi, unde exibunt? Nonne illinc? . . . . aut circulo circumibunt, quasi saevum et invium sit mare nobis finitimum?'

Ex quibus verbis apparet iurisdictione certe Prusenses hoc temporis momento iam frui. Simul particula *νῦν* discimus novam hanc esse institutionem, porro multorum iura honoribus Prusensibus oblatis tangi [*πολλῶν ἅπτεται*]. Suspicor autem Apamenses hos esse et quia Prusensibus maxime sunt affines et propter controversias, quas fuisse eo tempore gravissimas inter has urbes ex ipsa hac oratione et ex oratione 41 discimus. Cf. part. D.

His opponuntur *οἱ ἄλλοι πάντες*, qui iurisdictionem Prusensium aegre ferant. Atqui, si probabile est *πολλῶν ἅπτεται* dici de eis, qui antea de Prusensium vico iudicaverant, *οἱ ἄλλοι πάντες* verisimile est significare eos, qui nunc iudiciorum causa cogantur se Prusam conferre.

Sequuntur verba *αὐτίκα* sq. Ad quae Reiskius adnotavit [II, pg. 175,93]: ‚legati Prusani Romam mittendi, ad

---

40,33. 3. *δὴ. δεῖ* B [Parisinus]. 4. *οἱ. οὐ* M. 5. *τὸ* om. m [Morellus] 6. *περιίασιν. περίασιν* B. M.

gratias Imperatori agendum, pro indulto iure fori agendi.' Sed de tali consilio ne verbo quidem expositum est in hac oratione. Immo haec legatio iam videtur rediisse, ut statim videbimus. Itaque verba *ἐπ' αὐτὸ τοῦτο* aut ad id spectant, de quo tota oratione disputatur, scilicet de simultatibus, quae intercesserant inter Prusenses et Apamenses, aut ad id, quod praecedit *τὸ νῦν συμβεβηκός*, id est ad iurisdictionem. Sed illius causa necesse non erat Apameae naves conscendere. Restat igitur, ut de legatis cogitemus, qui ad regiones nuper iurisdictioni Prusensi subiectas aliqua de causa visendas navibus usuri erant. Sed nunc redeo ad § 14.

40,14. 3) *οἱ δὲ ἐλογοποίουν, ὅτι τοῖς Σμυρναίοις παμπόλλας δωρεὰς δῴη καὶ χρήματα ἀμύθητα πέμψειε . . . . καὶ νὴ Δί' ὡς ἄλλου τινὸς διαλεχθέντος μυρίους μὲν αὐτῷ συνεχώρησε βουλευτάς, χρυσίον δ' ἐκέλευσε ποταμὸν εἰς τὴν πόλιν τραπῆναι καὶ μυριάδες ἄπειροί τινες ἐδόθησαν.*

Disputaverat in praecedentibus Dio de malignitate adversariorum, qui odio et ira inflammati ne imperatori quidem parcerent, cum aegre ferrent, quod legati Prusensium ad gratias agendum missi [propter concessam iurisdictionem. De ea enim agi videtur, etsi imperatoris* nomen non legitur; sed verisimile est talem legationem missam esse] haud benigne excepti essent. Tum pergit Dio [haec enim sententia videtur subesse verbis supra propositis] alios aegre ferre nonnulla privilegia aliis civitatibus concessa desiderari, nempe pecunias et nummis missas [*χρήματα . . . πέμψειε. μυριάδες . . . ἐδόθησαν*] et ex vectigalibus profluentes [*χρυσίον δ' ἐκέλευσε ποταμὸν εἰς τὴν πόλιν τραπῆναι*] et senatorum multitudinem. Plura hic discimus de privilegiis Prusae concessis. Nam si queruntur Prusensium nonnulli minora sibi redundare ex vectigalibus commoda pluraque se exspectasse minoremque esse senatorum numerum, patet non solum iurisdictionis, sed etiam administrationis iura contigisse iis. Vectigalium autem emolumenta, si minora videbantur,

---

40,14. 3. *τινός. τινὸς ἂν* Reiske. 4. *δ'* M, *δὲ* reliqui.

* cf. 45,3, ubi eodem modo Caesaris nomen tacetur.

causa fortasse inde petenda est, quod Apamensibus antea videntur subditi fuisse Prusenses. Apamea autem colonia fuit Romana. Quare Prusensi dioecesi instituta imperatorem Apamensium, colonorum Romanorum, commodis consulentem vectigalium partem illis retinuisse veri non est dissimile. Deinde scimus eo tempore civitates dignitatem et auctoritatem oppidorum e numero senatorum iudicasse [44,11: *καὶ τοῦ πλήθους τῶν βουλευτῶν*]. Item ex oratione 45,7 constat numerum centum senatorum Prusae concessum esse. Quare licet suspicari hunc numerum minorem visum esse Prusensibus quibusdam causamque fuisse, quod Dioni succenserent. Itaque eo tempore, quo haec oratio habita est, et jurisdictionis et vectigalium exigendorum privilegio fruebantur Prusenses et, etsi *διοικήσεως* nomen in ea non legitur, *διοίκησιν* Prusensem institutam fuisse constat. Deinde notandum est verba *ὡς ἄλλου τινὸς διαλεχθέντος* [quibuscum conferas ea, quae statim sequuntur § 15 *ἀλλ' ὁμοῦ - ἐδέοντο*] intelligi non posse, nisi putamus in impetrandis his privilegiis aliquas fuisse Dionis partes. Quocum congruunt verba, quae leguntur 48,11: *εἰ τὴν ἐμαυτοῦ πατρίδα τιμιωτέραν ἐποίησα χρημάτων τινὰ ἀφορμὴν παρασχὼν* sq.

Alia vero obstant. Sed primum nos vertamus ad orationem 44.

II. 44,5. 1) *ὁ γοῦν πάππος ὁ ἐμός, εἰ ἐπὶ πλεῖον ἀπώνατο τῆς φιλίας τοῦ τότε αὐτοκράτορος, ἀλλὰ μὴ βραχὺς παντελῶς ἐγένετο χρόνος, διενοεῖτο, ὥς φασιν, ἐλευθερίαν τῇ πόλει λαβεῖν καὶ ἤδη περὶ τούτου πεποίητο τὸν λόγον. οὐ δεῖ δὲ ἀπελπίζειν, ἕως ἂν ἀγαθοὺς . . . .*

‚Avus enim meus, si diutius amicitia imperatoris tunc regnantis usus esset, neque nimis breve fuisset tempus, civitati libertatem impetrare studuisse dicitur et iam de ea re dissertationem perfecerat. Neque vero desperandum est, quoad bonos . . . .'

44,5. 2. *τοῦ τότε. τούτου γε* m. 3. *χρόνος. ὁ χρόνος* Reiske. — *τῇ πόλει λαβεῖν. λαβεῖν τῇ πόλει B* superscripto tamen *τῇ πόλει*. 4. *καὶ B. M.* F [Vaticanus 1336]. Koehler. *καὶ* rel. — *τὸν* om. F. 5. *ἀπελπίζειν* B. M. Casaub[onus] r [Reiske]. *ἐλπίζειν* rel. Rebatur Reiske et *ἐλπίζειν* legi posse deleto *οὐ*.

Videmus ex his verbis iam dudum Prusenses libertatis cupidos fuisse et rem iam avi Dionis aetate eo perductam fuisse, ut ille amicitia fretus imperatorem de ea re adiret, sed spe deceptos esse Prusenses, cum illi non liceret amicitia imperatoris uti, videlicet aut propter ipsius aut propter imperatoris mortem. Neque vero Dio civibus spem adipiscendae libertatis adimit, qua propter virtutem et strenuitatem civium digni essent.

44,10. 2) *καὶ τὸν δῆμον ὑμᾶς ἀξιῶ, ἃ μὲν ἔστι παρὰ τῶν κρατούντων, ταῦτα ἐλπίζειν ὡς ἐσόμενα καὶ εὔχεσθαι συμβαίνειν τινὰ τιμὴν ἢ δόξαν ἢ εὐπορίαν χρημάτων.*

Ne haec quidem explicatione egent: repetit Dio ea, quae supra [*οὐ δεῖ δὲ ἀπελπίζειν*] exposuit cives admonens, ut bonis animis sint et imperatoris benignitati confidentes [*ἃ μὲν ἔστι παρὰ τῶν κρατούντων, ταῦτα ἐλπίζειν*] sperent fore, ut ea bona, quae ex concessa libertate oriantur, iis contingant. Utroque igitur loco liquet Dionem non modo non adversarium libertatis esse, sed ad acquirendam illam vel adhortari cives.

44,11. 12. 3) *ταῦτα γὰρ ὑμᾶς ἐπιτηδεύοντας πλέον ὀνήσει καὶ τοῦ πλήθους τῶν βουλευτῶν καὶ τοῦ παρ' ὑμῖν τὰ πράγματα ἄγεσθαι καὶ τοῦ πρόσοδόν τινα χρημάτων ἔξωθεν ὑμῖν ὑπάρξαι καὶ τῆς ἐλευθερίας αὐτῆς, ἐὰν ἄρα καὶ τούτου τύχητέ ποτε.* 12. *εὖ γὰρ ἴστε, ὅτι τὴν μὲν λεγομένην ἐλευθερίαν καὶ τὸ ὄνομα τοῦθ,' ὃ παρὰ τῶν κρατούντων καὶ δυναμένων γίγνεται, ἐνίοτε οὐ δυνατὸν κτήσασθαι.*

,Nam ex his rebus cura adhibita maiora commoda colligetis, quam ex senatorum multididudine, propriis iudiciis, pecuniarum quadam copia extrinsecus affluente, ipsa libertate, si quando et hanc adipiscemini. Neque enim ignoratis libertatem, quae dicitur, nomenque illud, quod a principibus potentibusque conceditur, interdum impetrari non posse.'

Etiam hoc loco, ut in prioribus agitur de libertate. Sed cum illi in universum dicti sunt, hic libertatis notio

---

44,11. 2. *ὀνήσει. νήσει* M. 4. *αὐτῆς* om. F. — *τούτου. τὸ τούτου* M. 12.2. *τοῦθ' ὅ, τοῦτο* M. 3. *γίγνεται, ἐνίοτε* Pflugk. *ἐνίοτε γίγνεται* libri. — *κτήσασθαι. κτίσασθαι* M.

paullo accuratius circumscribitur. Quare quia notum est [Marq. pg. 357] hanc vocem sensu valde diverso adhibitam esse a provincialibus, paullo accuratius interpretabor haec verba.

Enumerat autem Dio hic primum ea privilegia utpote futura, quae in oratione 40 perfecta esse vidimus. Nam primum de constituendo senatu dicit *καὶ τοῦ πλήθους τῶν βουλευτῶν*. Deinde sequuntur iudicia domestica. *πράγματα* enim hoc loco non de universa administratione dicta esse inde patet, quod de ea et in antecedenti et insequenti particula exponitur. *παρά τινι* autem proprie dicitur de iis, qui de aliquo iudicant. *πράγματα* igitur hoc loco causae sunt, quae foro Prusensi subiciantur.

Denique addit Dio: *καὶ τῆς ἐλευθερίας αὐτῆς*. Libertas igitur ut quartum atque summum privilegium accedens ad praecedentia propria hoc loco usurpata est significatione. Videmus enim civitatem licet administrationis, iudiciorum, vectigalium donis ornatam tamen libertate posse carere. De hac vero adipiscenda videmus ipsum Dionem dubitare; cf. de his rebus Marq. 355, 56. Neque vero negari potest hunc locum quodam modo contrarium esse prioribus [5. 10], in quibus ad acquirendam libertatem admonuerat cives Dio. Nunc enim se ipse corrigit et ne nimis cupide ad eam adspirent cives hortatur eaque bona praeferant ut meliora, quae in virtute posita sint. — Ex quibus omnibus apparet et privilegia tum nondum adeptos esse Prusenses et de acquirendis eis dubium esse Dionem. Itaque oratio 44 ante orationem 40 habita est.

III. Venio nunc ad orationem 45, in cuius initio Dio de vitae suae publicae occupationibus rationem redditurus, postquam exsilii tempus breviter tetigit, queritur, quod Nerva regnante gravissimo morbo impeditus fuerit, quominus Prusensium commodis inserviret, cum dicat:

45,3 1) *ὧν γὰρ νῦν ἐτύχομεν, τότε ἐξῆν ταῦτα ἔχειν καὶ τῷ παρόντι καιρῷ πρὸς ἑτέρας κεχρῆσθαι δωρεάς.*

45,3. 2. κεχρῆσθαι. κεχρῆσθε M.

,Nam quae nunc adepti sumus, iam tunc impetrare nobis licebat et hoc quidem fausto tempore ad alia privilegia consequenda uti.'

Itaque eo ipso tempore, quo Dio orationem habuit, privilegia nonnulla Prusensibus ab imperatore concessa erant, cum tamen alia desiderarentur. Quaenam autem fuerint privilegia illa, Dio non addit. Rectissime ceterum ut opinor, Reiskius ad verba *τῷ παρόντι καιρῷ* adnotat ,quo Traianus ita benevolum se erga Prusam munificumque praestitit.' Nam verbis *ἐπεὶ δ'οὖν ὑπῆρξε παρὰ τούτου* sq. Dio ad Traianum orationem deflectit; neque enim Nervam, sed Traianum pronomine *τούτου* significari posse iam Reiskius demonstravit. Iam Dio, postquam de amicitia, qua cum Traiano coniunctus erat, locutus dixit se familiaritate illa non ad sua commoda augenda usum esse, pergit:

45,3. 4. 2) *ἀλλ' ἅπαν, ὅσον τότε ἦν, εἰς ὑμᾶς ἔτρεψα καὶ μόνον εἶδον τὸ τῆς πόλεως.* 4. *ταῦτα δὲ εἰ μέν ἐστι χρήσιμα καὶ μεγάλα . . . . . οὐ λέγω . . .*

,Sed quidquid tum licebat, in vos contuli [hac occasione] et civitatis solum commodum respexi. Haec autem, quae impetravi, num utilia et magna sint . . . . . exponere nolo . . . .'

Ex quo nihil certi comperimus. Gravissima enim dicit Dio se Prusensibus beneficia Caesaris impetrasse, sed quaenam fuerint, incertum est. At nunc primum tractabo verba:

45,7. 3) *τούτων ὁπωσδήποτε ληφθέντων καὶ κομισθέντων ἐνταῦθα σκοπεῖτε, εἴ τῳ βαρὺς γέγονα τῶν πολιτῶν . . .*

, . . . hisce quomodo cumque acceptis et perlatis iam considerate, num cui civi gravis fuerim.'

45, 3. 1. *ἀλλ' ἅπαν.* M. *ἀλλὰ πᾶν* rel. – *ὅσον τότε* r. *ὅσον ποτὲ* libri. 4. 1. *εἰ μέν* sq. Reiskius excidisse quaedam opinatur, cf. Emperii observationes pg. 53.

45, 7. 1. *ληφθέντων καὶ κομισθέντων ἐνταῦθα σκοπεῖτε* Emperius. *ληφθέντων ἐνταῦθα σκοπεῖτε καὶ κομισθέντων* M. *λειφθέντων ἐνταῦθα σκοπεῖτε καὶ κομισθέντων* B. v. [editio Veneta]. m. *λειφθέντων ἐνταῖθα καὶ νομισθέντων σκοπεῖτε* r. *ληφθέντων* Pflugkius.

Disputat hic Dio de nova quadam institutione atque de ea, quam non debebant Prusenses Dioni. Nam vocula *ὁπωσδήποτε* significat scriptor sibi displicere rationem, qua introducta sit. Quaenam autem fuerit, ex sequentibus elucet: agitur enim de senatus centum virorum institutione, in cuius prima conformatione deinde exponit scriptor, quomodo se gesserit. Discimus autem ex hac narratione senatum, etsi instituendi eius modum improbaverit, postquam institutus fuerit, opera sua adiuvasse Dionem, certe non impedivisse.

Nunc recedamus oportet et examinemus 45,4—6.

45,4—6. 4) *ὅτι δ'ὑμεῖς μάλιστα τούτου ἐπεθυμεῖτε καὶ χρόνος ἦν πολὺς, ὃν ἠλπίζετε, ἐξηπάτησθε, τοῖς ὑποσχομένοις μόνον τῶν ἡγεμόνων · οὐ γὰρ δὴ τῶν ἰδιωτῶν οὐδεὶς οὔτε προςεδόκησε πώποτε οὔτε ὑπέσχετο · τιμὰς ὑπερβαλλούσας ἐδίδοτε πρὸ πολλοῦ τῆς πόλεως ἀπαντῶντες πανδημεὶ καὶ περιμένοντες ἐν ἑτέραις πόλεσι · τοῦτο ἴσως ἐννοεῖν ἄξιον.* 5. *καίτοι σμικρῶν γενομένων καὶ οὐδενὸς ἀξίων τὸν ἄνδρα τὸν γενναῖον καὶ μὴ φθόνου καὶ βασκανίας ἥττονα τότε ἐχρῆν λέγειν, ὅτι μαίνεσθε καὶ παρανοεῖτε τοιούτων ἐξεχόμενοι σφόδρα οὕτω καὶ θεραπεύοντες ἀνθρώπους οὕτω ταπεινῶς ἐπὶ πράγμασιν οὔτε*

45.4. 1. *ὅτι δ'* Selden. *ὅτι* reliqui. — *τούτου* Emp., cf. obs. pg. 53. *τοῦτο* rel. — *ἐπεθυμεῖτε* Reiske. *ἐπιθυμεῖτε* rel. 2. *ἐξηπάτησθε* Emp. *ἐξηπατῆσθαι* rel. *τῷ ἐξηπατῆσθαι* Selden. *καὶ ἐξηπάτησθε* vel *ἐξηπατημένοι* Reiske. — *τοῖς. καὶ τοῖς* Emp. obs l. l. At postea recessit Emperius ab illa coniectura. *ἐξηπάτησθε τοῖς ὑποσχομένοις μόνων τῶν ἡγεμόνων* Val. 3. *ἡγεμόνων. ἰδιωτῶν* Emp. cf. infra pg. 11. — *δὴ* om. B. — *ἰδιωτῶν. ἡγεμόνων* Emp. — *προσεδόκησε* B. M. mrg. m[margo ed. Mor.] r. *προσεδάνεισεν* m. 4. *τιμὰς. οἷς τιμὰς* Reiske. 5. *ἀπαντῶντες* Selden. r. *ἅπαντες* rel. — *καὶ* Selden. r. om. rel. *ἢ* suspicatur Emp. 6. *πόλεσι · τοῦτο ἴσως* Emp. *πόλεσι τούτοις. ὡς* rel. *ἐπὶ τούτοις ὡς ἐννοεῖν ἄξιον* vel *ἐπὶ τούτοις ὅμως ἐννοεῖν ἀξιῶ* Selden. *πόλεσι τούτους. ὡς* Reiske. 5. 3. *μαίνεσθε. μαίνεσθαι* M. 4. *οὕτω. οὕτως* M. — Reiske verbo *σφόδρα* anteponit. 5. *ταπεινῶς* v. infra part. E. *ταπεινοὺς* libri, 7. *ἔχοντες* B.M., *ἔχουσι* rel. 8. *τὸ τόν. τὸ* om. M. Pflugk., qui suspicatur *τὸ* ante *τῶν ἡγεμόνων* ponendum esse. *τῷ τὸν* Geel. — *καὶ τὸν δεῖνα* M. om. reliqui. 9. *τῶν ἡγεμόνων* delet Emp. 10. *ἔθελγεν. ἐθέλγειν* M. 11. *ἂν γενομένων* Emp. *γενησομένων* Pflugk. *γενομένων* rel. 6. 2. *πρότερον* Emp. obs. pg. 54. *πραώτερον* B. *πρᾳότερον* rel. 4. *γὰρ ἂν ἦν τοῦτο* Emp. *γὰρ ἦν τὸ* reliq. *γὰρ ἂν ἦν τὸ* Pflugk.

ἀναγκαίοις οὔτε μεγάλοις, καὶ ταῦτα ἀδήλοις ἔτι καὶ μηδὲν ἔχοντες βέβαιον. ἀλλ' οἶμαι χαλεπὸν μὲν ἦν αὐτοῖς καὶ ὁπωσοῦν γενόμενόν τι τούτων. οὐ μὴν ὁμοίως ἐλύπει τὸ τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα τῶν ἡγεμόνων εἶναι τὸν ποιήσαντα καὶ παρασχόντα, μὴ τῶν ἡμετέρων τινὰ πολιτῶν. ἔτι δὲ ἐλπὶς ὑπῄει καὶ ἔθελγεν αὐτούς, ὡς οὐδέποτε ἂν γενομένων. 6. *καίτοι καὶ τοῦτο ἀκήκοα πολλῶν ἐγὼ λεγόντων, ὡς πρότερον ἀντιγράψαντος περὶ τῆς διοικήσεως τῶν ἡγεμόνων τινὸς καὶ τοῦ πράγματος ἀποτευχθέντος πολλοὶ κατεγέλων τῆς πόλεως, οὐ τῶν ἀστυγειτόνων · ἧττον γὰρ ἂν ἦν τοῦτο δεινόν. ἀλλὰ τῶν πολιτῶν, ὡς μειζόνων ἢ καθ' αὑτὴν ἐφιεμένης* . . . .

Atque misere corrupta esse §§ 4—6 patet ita, ut textum neque audeam constituere neque par sit ante novam, quam exspectamus, editionem. De sensu tamen, quae mihi videantur constare, exponam.

Primum omnem hanc expositionem certum est de eodem argumento agere atque § 7 sq. Nam verba *τούτων ὁπωςδήποτε* ita sequentem de senatu disputationem cum prioribus coniungunt, ut concludere necesse sit etiam §§ 4—6 sive de senatu dictas esse sive de universis privilegiis, quorum pars fuerit senatus.

Verba autem *ἐξηπάτησθε — ὑπέσχετο* videntur significare: decepti estis a quibusdam magistratibus vana promittentibus. Neque quisquam privatus talia aut exspectavit, aut promisit. Nam perperam Emperius voces *ἡγεμόνων* et *ἰδιωτῶν* locum mutare iussit, quae optimum sensum praebent, cum privatis etiam Dio adnumerandus sit, qui talia neque exspectaverat neque promiserat. Et cunctanter de eadem re 44,11.12 dixerat.

Exstiterant igitur *ἡγεμόνες*, magistratus Romani [cf. part. E], qui Prusensibus privilegia quaedam promitterent. Neque vero — ne Dio quidem hoc negare poterat — polliciti solum sunt, sed aliqua certe assecutos etiam esse Prusenses per illos Dio fatetur. Patet hoc ex verbis *τὸν δεῖνα* sq. Sed minora erant, quam par erat: *σμικρῶν — οὔτε ἀναγκαίοις οὔτε μεγάλοις*, neque tantis Prusensium adulationibus digna [*ἀπαντῶντες — θεραπεύοντες*].

Iterum dicendum est rationem, cui parva haec commoda debebantur, displicere Dioni, non rem ipsam. Nam acerbe

Dio cives eos vituperat, qui paullo antea, cum res videbatur parum procedere, gaudio exsultabant: § 6 *καίτοι καὶ τοῦτο* sq.

Iam vero, si dixi haec omnia ad ea privilegia referenda esse, quorum pars fuerit senatus, videas, quomodo haec confirmentur verbis § 6 *ἀντιγράψαντος περὶ τῆς διοικήσεως*. Nam senatus institutio, de qua disputat Dio § 7—10, pars est *διοικήσεως*.

Videmus igitur *διοίκησιν* ipsam probare Dionem, modum improbare, quo instituta sit. Quare, si dixi [pg. 6] ex loco 40,14 et 48,11 concludi debere *διοίκησιν* Dionis opera esse impetratam, obstat huic oratio 45.

Sed nunc redeo ad § 7.

45,7,8. 5) *ἢ τοὐναντίον οὐκ ἔλαττον ἑκατὸν βουλευτῶν καταλεγέντων ἕτεροι μὲν εἰσήγαγον φίλους αὑτῶν καὶ παρεσκεύασαν ὅπως ἕξουσι τοὺς συναγωνιζομένους καὶ βοηθοῦντας, οἷς ἂν ποτε ἐθέλωσιν* ... 8. *μάλιστα μὲν γὰρ ἠξίουν μηδὲ ἕτερον μηδένα τοιοῦτον ἔθος εἰσάγειν μηδὲ καθ' ἑταιρείας πολιτεύεσθαι μηδ' εἰς μέρη διασπᾶν τὴν πόλιν.*

,Immo, cum non minus quam centum senatores eligerentur, alii amicos adduxerunt, et curaverunt, ut haberent faventes adiuvantesque ad res adipiscendas quascumque volebant... Neque enim ulli rei magis studebam, quam ut monerem, ne quis alius talem consuetudinem introduceret neve ex factionum arbitrio res publicae agerentur neve in partes civitas distraheretur.'

Agitur hic de prima senatorum electione et discimus constitisse senatum ex centum hominibus, quem numerum a Dione non probari demonstratur verbis recte, ut videtur, a viris doctis ita constitutis: *οὐκ ἔλαττον ἑκατόν*. Vituperatio autem, quae in his verbis latet, congruit cum loco supra tractato [40,14], ex quo scimus multos Prusenses ne eo quidem numero contentos fuisse. Deinde Dio statim abusos esse hoc senatus privilegio Prusenses arguit, Studuisse enim unumquemque quam plurimos amicos in senatum insinuare, qui

---

45,7. 1. *οὐκ ἔλαιτον ἑκατὸν* r. *ἔλαττον οὐχ ἑκατὸν* B.M v. m. *ἐλάττων οὐχ ἑκατὸν* mrg. m. *ἐλατιῶν οὐχ ἑκατὸν* Casaub. *ἔλαττον ἢ οὐχ ἑκατὸν* Selden. 3. *ἕξουσι τοὺς* B. M. *τοὺς* om. rel. 8. 2. *μηδὲ καθ' ἑταιρείας*. *μήτε καθ' ἑταιρίας* M.

civitatis salute posthabita privatis commodis consulerent. Quam consuetudinem improbans Dio suam in ea re modestiam laudat.

45,8. 6) *ἐξὸν ἑνὶ ῥήματι κωλῦσαι καὶ καταστάντα καταμηνῦσαι τὸ γιγνόμενον καὶ παρ' εἰδόσιν ὑμῖν καὶ τοῖς ἡγεμόσιν. εἰ δὲ μήτε ὑμεῖς προσείχετε μήτε τῶν ἡγεμόνων τὸ πρᾶγμα ἥπτετο, οὐ χαλεπὸν ἦν ἐπιστεῖλαι τῷ αὐτοκράτορι.*

,cum mihi liceret vel uno verbo rem prohibere et in publicum prodeunti ea, quae agebantur, et apud vos haud inscios et apud principes denuntiare. Sin autem neque vos rei studuissetis neque principes ad rem aggressi essent, perfacile fuit litteras ad imperatorem dare.'

Notabilis hic locus est ad demonstrandum Dionis inter cives auctoritatem, qui aperte glorietur licere sibi omni tempore sive proconsuli sive ipsi imperatori indicare, siquae in Prusensium administratione minus probaret. Qua de re meminerim oportet eam fuisse Prusensium condicionem, ut quovis temporis momento illis privilegiis a Romanis possent privari.

45,9. 7) *τὸ μὲν δὴ τῆς βουλῆς οὕτω διῳκήθη τὰ γ'ἄλλα ὀρθῶς· οὔτε γὰρ φαύλους οὔτε ἀναξίους ἄνδρας ἐχειροτονήσατε· πλὴν ὅτι πάντες τῆς ἴσης τυχόντες τιμῆς, καίτοι δικαίως τυγχάνοντες καὶ δι' αὑτούς, ὅμως, καθάπερ οἱ μυούμενοι, μυσταγωγῶν ἐδεήθησαν.*

Itaque post minas illas mitius agit cum civibus Dio. Nam nunc, postquam gravissime eos vituperavit, quod factiose senatum constituissent, fatetur patriam damnum inde non cepisse, cum boni dignique viri in senatum electi essent. Neque vero vel hic suum de senatu iudicium reticet, cum dicat nimiam auctoritatem popularibus concessam esse, quia omnes senatores pari honore fruerentur, quod

---

45. 8. 1. *καὶ καταστάντα καταμηνῦσαι* Geel. *καὶ καταστάντας καὶ μηνῦσαι* libri. *καὶ καταστάντα μηνῦσαι* Wyttenb. ad Plut. Mor. pg. 924 Oxon. *καταπαῦσαι καὶ μηνῦσαι* Reiske. *καὶ καταστάντα καὶ μηνῦσαι* Pflugk. *καὶ μὴ καταστὰν, μηνῦσαι* suspicatur Emp. 3. *προσείχετε. προείχετε* B. M. 4. *ἥπτετο. ἥπετο* M. — *ἐπιστεῖλαι* Reiske. *ἐπιτελέσαι* libri.

45,9. 1. *οὕτω* om. M. — *τὰ γ'. τὰ δ'* B. M. 2. *ἐχειροτονήσατε. ἐχιροτονήσατε* M.

patriae utilitati male responderet. Aperte enim profitetur hanc multitudinem sibi videri novis officiis parum aptam esse et ut initiatos mystagogis ducibus indigere. -- Tum, postquam tertium suam in eligendo senatu modestiam demonstravit, quae tanta fuit, ut ex oppido exiens electionem omnino vitaret, de senatu instituto dissertationis finem facit dicens:

45,10. 8) *ὑμῖν γάρ, οὐκ ἐμαυτῷ, τοὺς βουλευτὰς ᾐτησάμην.*

‚Vobis enim, non mihi, senatores postulavi.'

Patet ex disputatione mea haec verba, quibus Dio se senatores sibi postulavisse dicit, non ita intelligenda esse, ut suppleatur „ab imperatore“, sed significari ‚vobis senatores volui eligi' atque ea de causa ita se gessit, ut expositum est.

45,10. 9) *καὶ τοίνυν διοικήσεως νῦν πρῶτον ἀχθείσης πολλὰ ὑπὸ πολλῶν ἠδικημένος . . . πρὸς ἐνίους οὐδὲ δικῶν μοι δέον, ἀλλὰ μόνον εἰπεῖν καὶ μνησθῆναι περὶ τῶν κατεχομένων πρὸς οὐδένα οὔτ ἐμνήσθην οὔτε λόγον ἐποιησάμην οὐδένα τοσούτων μὲν εἰς ἐλευθερίαν . . . .*

‚Jam vero tunc primum dioecesi instituta multa a multis perpessus . . . cum adversus nonnullos ne lite quidem opus esset, sed indicare tantum eos et mentionem facere de rebus occupatis, tamen adversus neminem neque indicavi neque actionem ullam composui, tot in libertatem . . . .'

Iterum hic exponit Dio se novis his institutionibus ad sua ipsius commoda non abusum esse. Apertum autem est se, nunc ad eam partem Dionem vertere, quae est iudiciorum. Dionis enim res familiaris per exsilii tempus gravissima damna susceperat, quibus nunc, qua erat in urbe patria auctoritate, facili opere litibus apud domestica tribunalia intentis poterat succurrere.

Primum autem hoc loco vox illa *διοίκησις* occurrit itaque collocata, ut videatur omnia, quae paullo antea no-

---

45,10. *ᾐτησάμην* B. M. r. *ᾐτισάμην* v. *ἢ Τησάμην* m.

45,10. 1. *καί. ὡς* Selden. 3. *μοι δέον* Emp. obs. pg. 54. *οἰόμενός* vel *προσῆκόν μοι δεῖν* Reiske. *δικαιῶν μοι δεῖν* Jacobs. add. pg. 129. *μοι δεῖν* rel. — *μόνον* Pflugk. *μᾶλλον* reliq.

vata erant in administranda republica Prusensi, complecti. Quare, si ne ante *διοίκησιν* quidem institutam senatu carebat Prusa, id quod nescimus, diversum illum fuisse necesse est ab eo senatu, scilicet centum virorum, qui pars erat *διοικήσεως*.

Jam vero, si his §§ Dio primum de senatu, deinde de iudiciis disputat, inde fortasse sequitur senatum ante iudicia institutum esse Prusae, utpote totius administrationis fundamentum. Nempe novis officiis atque muneribus prae ceteris magistratus constituendi erant. Et intelligitur, quid sibi velint verba Dionis § 9 *τὰ γ'ἄλλα ὀρθῶς .... πλὴν ὅτι* sq. Nam senatoribus electis difficillimum munus totius administrationis instituendae subeundum erat et, cum centum senatores pari iure praediti ad rem novam atque insolitam aggrederentur, Dio verebatur, ne in tanta multitudine multi muneri instituendae reipublicae impares invenirentur [*καθάπερ οἱ μυούμενοι μυσταγωγῶν ἐδεήθησαν*].

IV. Accedo ad orationem 43, ex qua primum exscribam:

43,1. 1) *καὶ τὰ μὲν εὖ πεποίηκα τὴν πατρίδα, ταῖς πρώταις ἴσην αὐτὴν ἀποδείξας τιμῆς ἕνεκα, τὰ δὲ ποιήσω θεοῦ διδόντος.*

‚et partim beneficiis iam ornavi patriam illustrissimis civitatibus parem eam reddens honoris gratia, partim vero ornabo deo adiuvante.'

Haec verba, quae sunt de Dionis erga patriam meritis, plane congruunt cum locis supra tractatis: 45,4 *ταῦτα δέ, εἰ μὲν ἐστι χρήσιμα* sq. — *τὰ μὲν εὖ πεποίηκα.* 45,3 *καὶ τῷ παρόντι καιρῷ πρὸς ἑτέρας κεχρῆσθαι δωρεάς* — *τὰ δὲ ποιήσω,* sed eo quoque cum illis concinunt, quod, quaenam fuerint merita illa, plane taceat scriptor.

43,10. 2) *τοὺς πρεσβυτέρους ὀνειδίζων .... εἴ τις ... τὰ τῆς πόλεως ἠργολάβει ... τοὺς δὲ νησιώτας τοὺς ταλαιπώρους λεηλατῶν ἐπὶ προφάσει φόρων ἢ καταλογῇ στρατιωτῶν, ὥσπερ ἔνιοι ποιοῦσι παρ' ἡμῖν.*

43, 1. 2. *τὰ δέ. τὸ δὲ* B. M.
43, 10. 4. *ἡμῖν* B. M. *ὑμῖν* rel.

‚maiores natu reprehendens ... si quis ... ex rebus publicis sua commoda quaesiverat ... et miserrimos insulanos spolians sub vectigalium praetextu aut militum delectus, ut nonnulli apud nos faciunt.'

Dio sese cum Socrate Prusensesque cum Atheniensibus comparans olim in Socratem cum aliis de causis, tum quod Atheniensium contra socios crudelitatem vituperasset, gravissimas inimicitias ortas esse exponit. Quibus coniuncta sunt verba *ὥσπερ ἔνιοι ποιοῦσι παρ' ἡμῖν*. Itaque ut Athenienses in socios, ita Prusenses quoque reprehendit nonnullos in civitates subiectas duros iniustosque se praebere. Iam cum ii, qui vexabantur, haud dubie cives oppidorum vicorumque Prusensi *διοικήσει* subditorum intelligendi sint [45,6: *ἀστυγείτονες*], confirmantur, quae in oratione 40,33 legimus: *καὶ μὴν τὸ νῦν συμβεβηκὸς ... κνίζει τοὺς ἄλλους ἅπαντας*, et dioecesi instituta Prusenses ius vectigalium exercentes interdum auctoritate abusos esse discimus. Itaque etiam ex hoc loco Dionem contra Prusensis *διοικήσεως* rationem paullo infestiorem videmus fuisse.

V. Iam vero restat orationis 48 § 11:

48,11. *εἰ τὴν ἐμαυτοῦ πατρίδα τιμιωτέραν ἐποίησα χρημάτων τινὰ ἀφορμὴν παρασχὼν ἀπὸ τῶν βουλευτικῶν καὶ νὴ Δία ἀπὸ τῶν προσόδων ηὐξημένων διὰ τὴν διοίκησιν*;

‚quod auctoritatem patriae auxi pecuniarum quandem occasionem expediens ex senatu et Hercle ex vectigalibus auctis per dioecesin?'

Quibus verbis [omitto autem cum Emperio *ὥσπερ*, quod in codice M margini adscriptum est] videntur duo Dionis erga patriam merita significari.

Primum quod ditiorem eam reddiderit institutione *τῶν βουλευτικῶν* sc. *χρημάτων*. Quae verba non possum non interpretari cum Reiskio, qui dicit II pg. 242,44: *βουλευτικὰ* scil. *χρήματα*, videntur fuisse certa quaedam summa pecuniae, quam novus quisque senator pro ingressu in curiam velut

---

48,11. 1. *εἰ* B. Casaub. r. om.M. *ἢ* v. m. 2. *παρασχὼν*. *παρέσχον* M, cui *ὥσπερ* in margine additum est.

munus honorarium, dependere debebat Conferas de re usitatissima Marquardt ²IV,1 180 et Kuhn Verfassung d. röm. Reichs I, 53.

Hoc igitur videtur Dio curasse. Ex quo simul videmus Dionem senatus quidem instituendi rationem improbasse, sed instituto favisse. Tota enim oratio 48 indicat ipsum Dionem fuisse senatorem et cum senatu arte eum coniunctum fuisse testantur etiam orationes 43. 49. 50.

Deinde vero ex verbis *ἀπὸ τῶν προσόδων ηὐξημένων διὰ τὴν διοίκησιν* concludi debet Dionis in *διοικήσει* instituenda fuisse partes primarias. Itaque hunc locum ut 40,14 negari nequit discrepare cum orationibus 44 et 45.

Quo differant igitur diversa illa Dionis de Prusensi administratione iudicia, exposui. Diversitatem ipsam, quominus explicemus, eo impedimur, quod de Prusae historia parum scimus. Fortasse non solum privilegia illa voluerat Dio patriae impetrare, sed ipsam *αὐτονομίαν**). Intercedebant alii, qui partem eorum, quae Dio institui voluerat, promptiore via perficiebant. Quorum et rationem improbavit Dio et aegre tulit laudem beneficiorum sibi ereptam esse. Sed nolo coniecturis indulgere.

---

*) Erat enim Prusa etiam post *διοίκησιν* institutam urbs subiecta. Qua de re cf. quae supra exposui et totam orationem 48, qua discimus ne contionem quidem populi convocare urbanis magistratibus nisi impetrata proconsulis venia [v. infra part. E] licuisse.

B. De Dionis de patria meritis.

Postquam vidimus, quae fuerint Dionis partes in instituenda dioecesi, nunc quaerendum est, quaenam fuerint eius de patria merita, de quibus saepissime glorietur. Sunt autem tres potissimum orationes [40, 45, 47] hac de causa accuratius examinandae.

I. In orationis 40 prooemio Dio causas enumerans, quibus moneatur, ne rebus publicis studeat, dicit, cum corporis infirmitatem et rei familiaris ruinam tolerare quidem possit, aliam rem sibi graviori curae esse:

40,3. 4. 1) *ἐπεὶ δὲ ὁ λόγος ἡμῖν ἐστιν ὑπὲρ τοῦ μὴ ψεύσασθαι τὴν πατρίδα μηδὲ ἀποστερῆσαι τὴν ὑπόσχεσιν ὑμᾶς, ἣν ὑπεσχόμεθα μηδενὸς ἀναγκάζοντος. οὐδαμῶς ῥᾳδίαν οὐδὲ ὀλίγων χρημάτων, τοῦτο οἶμαι χαλεπὸν καὶ πολλῆς φροντίδος ἄξιον · οὗ γε οὐδέν ἐστι βαρύτερον οὐδὲ ὀφειλόμενον ἐπὶ πλείονι τόκῳ χάριτος. καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ἀναίσχυντον δάνειον καὶ πικρὸν, ὅταν οἶμαι τῷ βραδύνειν ἡ χάρις εἰς χρέος μεταστῇ · ὃ τῷ παντὶ χαλεπώτερον ἀπαιτοῦσιν οἱ σιωπῶντες τῶν βοώντων.* 4. *οὐδὲν γὰρ οὕτω δύναται τοὺς ὀφείλοντας ὑμῖν τὰ τοιαῦτα ὑπομιμνήσκειν, ὡς τὸ ὑμᾶς ἐκλελῆσθαι.*

Quae verba ut intelligantur, necesse est praemoneatur de pecunia quadam civibus promissa quidem, sed nondum soluta ita disputare Dionem, quasi ab illis aes alienum suscepisset. Qua metaphora efficitur, ut ‚gratiam', quam se Prusensibus debitorem non urgentibus habere dicit, ‚usurae' sive ‚fenoris' vocula exprimat. Haec igitur dicit:

40,3. 5. *οὗ γε. οὐ γὰρ* M. 5. *πλείονι. πλίονι* M. 4. 2. *ὀφείλοντας. ὀφίλοντας* M. 3. *ὑμᾶς* B. M. Casaub. r. *ἡμᾶς* v. m.

‚Sed cum mihi dicendum sit de officio non decipiendi patriam neque privandi vos promisso, quod nullo cogente pronuntiavi nequaquam facili multique sumptus, illud mihi difficillimum magnaque cura dignum videtur esse, quo nihil molestius est, neque quid debeatur cum maiore fenore scilicet gratiae; nimirum illud debitum et impudens est et acerbum, si tardi debitoris gratia in debitum vertatur [idque augeat], quod acerbius a tacentibus postuletur, quam a vociferantibus. Neque enim ulla re magis debitores vestri admonentur, quam oblivione vestra.'

Queritur Dio, quod aere quodam alieno c i v i b u s [*μηδὲ ἀποστερῆσαι τὴν ὑπόσχεσιν ὑ μ ᾶ ς*] eoque m a g n o [*οὐδαμῶς ῥᾳδίαν οὐδὲ ὀλίγων χρημάτων*] prematur, quod u l t r o [*μηδενὸς ἀναγκάζοντος*] promisisset. Quod promissum, quale fuerit, ex orationibus 45, 47, 48 discimus, in quibus Dio de aedificiis quibusdam ipso auctore exstruendis verba facit. Qua ex re perficienda, ne aerario publico nimii sumptus orerentur, cives opibus et auctoritate florentes, in quorum numero Dio quoque erat [47, 19: *ἀλλὰ καὶ αὐτὸς συμβάλλεσθαι μέρος τῆς ὑποσχέσεως, ὥστε κουφίζεσθαι τοὺς ἄλλους*], sumptus operum sibi iniunxerant [45, 16: *ἀλλὰ πάντες ὡς ἐπ' ἀγαθοῖς οὖσι καὶ συμφέρουσιν οὐ λόγῳ μόνον συμπράττοντες καὶ συνεισφέροντες*]. Illustratur igitur loco supra proposito etiam oratio 48, qua discimus Prusae summam indignationem ortam esse contra eos, qui promissa non solvissent, quam indignationem Dio ipsa oratione 48 placare studuit. Sed ne tum quidem uni Dioni succensuerunt cives, cf. 48, 11: *διὰ τί δὲ παρὰ τούτων μὲν ἀπαιτεῖτε, παρ' ἐμοῦ δὲ οὐκ ἀπαιτεῖτε;*

40, 5. 2) *καὶ φιλοφρονήσασθαι τοσοῦτο μόνον καὶ θῦσαι τοῖς θεοῖς καὶ νὴ Δία ἀναγνῶναι τὰ γράμματα τὰ τοῦ αὐτοκράτορος, ὅτε ἀναγκαῖον ἦν.*

‚Et liberalem me praestare non nisi in rebus divinis instituendis et in legendis mehercle imperatoris epistulis, cum necesse erat.'

Et hoc quidem loco Dio, cum exponat aequum fuisse sese rebus publicis omnino abstinere, nisi si aliqua de causa

---

40, 5. 3. *ὅτε* Geel. *ὅτι* libri.

necessarium esset, de beneficiis [*φιλοφρονήσασθαι*] loquitur. Itaque et in rebus divinis Prusenses Dionis industria usos esse et imperatorem interdum per Dionem cum illis egisse colligitur, quod orationibus 44 et 47 confirmatur [44, 12: *ἀναγνώσομαι ὑμῖν ἐπιστολήν, ... ἣν ἐκεῖνος ἀντέγραψεν.* 47, 13: *ἐπιτρέψατε δὲ ἀναγνῶναι τὴν ἐπιστολὴν* sq.].

40, 5. 3) *λόγον τινὰ εἶπον ὑπὲρ ἔργου τινὸς οὐκ αὐτὸς μόνον, ἀλλὰ τῶν ἡγεμόνων ἐσπουδακότων, ἴσως μὲν ὑμῖν, ἴσως δὲ κἀμοὶ χαρίζεσθαι βουλομένων, τὴν πόλιν ἄμεινον κατασκευάζειν καὶ σεμνοτέραν ποιεῖν ἅπασαν. πρότερον γὰρ ἴστε δήπουθεν, ὅτι τοῖς τοιούτοις καὶ τῶν ἀστυγειτόνων ἐλειπόμεθα.*

‚orationem quandam habui de opere quodam non meo solius impetu, sed postquam principes quoque fortasse vestra, fortasse mea causa urbem ornare et augere studuerunt. Neque enim ignoratis antea talibus in rebus nos vel suburbanis cessisse.'

Miserrimam publicorum aedificiorum Prusensium condicionem fuisse praeter Dionem Plinius quoque testatur, qui faciem oppidi foedissimam appellat [ep. X, 75 (71)]. Quam si vel post Dionis curas vituperavit Plinius, non mirum est ipsum ea re magnopere vexatum esse Dionem, qui proconsule auctore et favente de his rebus contionatus est. Accedit enim, quod hoc ipso tempore *διοίκησις* Prusae concessa erat [cf. pg. 4]. Quare verisimile est et subiectas Prusae civitates externa specie superasse Prusam: *τοῖς τοιούτοις καὶ τῶν ἀ σ τ υ γ ε ι τ ό ν ω ν ἐλειπόμεθα.* Itaque Dio ad rem aggrediendum esse ratus, postquam praefectos Romanos, qui iamdudum rei favebant [*ἐσπου δ α κ ό τ ω ν*], in auxilium assumpsit, orationem habuit de opere quodam, quo oppidum exornaretur. Quod, quale fuerit, hoc loco non liquet, sed tenendum est de u n o opere Dionem verba facere [*ὑπὲρ ἔργου τ ι ν ό ς*, cf. infra *ὅπως μὴ γένοιτο ἀπρεπ ὲ ς μηδὲ ἀχρεῖον*], quod initium fuit illius Dionis studii, quod in omnibus fere orationibus Bithynicis defendit.

40, 5. 2. *ἀλλά. ἀλλὰ καὶ* Reiske. 3. *βουλομένων. βουλόμενον* B. M. — *τὴν* Emp. *καὶ τὴν* reliq. 4. *ἅπασαν. ἁπασῶν* Reiske. *ἅπασιν* susp. Emp. 5. *ἐλειπόμεθα* B. M. r. ex interpr[etatione Nageorgi]. *ἐλλειπόμεθα* v. m.

40, 6. 4) τοῦτον ἐμοῦ τότε εἰπόντος τὸν λόγον ἐπήρθη τε πρὸς αὐτὸν ὁ δῆμος ... καὶ πολλοὶ προετράπησαν φιλοτιμηθῆναι τῶν πολιτῶν.

‚Qua oratione a me habita populus efferebatur.... et multi cives commovebantur, ut liberales se praestarent.'

Videmus hic primum cives probasse Dionis consilia et multorum studia sese vertisse in hanc rem. Qui, utrum iam tum pecunias promiserint, necne, ex Dionis verbis, quae utramque interpretationem admittunt [προετράπησαν φιλοτιμηθῆναι], non intelligitur, quamquam propter locum 45, 16 infra illustrandum verisimile est de pecuniis promissis Dionem loqui.

40,6. 5) πάλιν δὲ ὕστερον ἐμοῦ τὸ πρᾶγμα ἐφ' ὑμῖν ποιουμένου πολλάκις μὲν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, πολλάκις δ' ἐν τῷ θεάτρῳ ..... πολλάκις μὲν ὑφ' ὑμῶν ἐκυρώθη, πολλάκις δὲ ὑπὸ τῶν ἡγεμόνων, οὐδενὸς ἀντειπόντος.

‚Postea vero res, cum iterum a me saepissime in senatu, saepissime in contione ad vos delata esset ... saepissime a vobis, saepissime a principibus probata est nullo contradicente.'

Dio primo quidem ardore civium uti non ex re esse duxit, sed intermisso aliquo tempore, cum iterum atque iterum et in senatu et apud populum de eadem re rettulisset, impetravit, ut nullo contradicente cives ex sententia eius rem perficiendam esse decernerent [ἐκυρώθη]. Quare, cum praefecti quoque Romani assensi essent, iam res eo perducta erat, ut aedificandi initium fieret.

40,7. 6) ἐπεὶ δὲ ἀρχὴν ἔλαβεν, ὅσα μὲν αὐτὸς ἔπαθον μετρῶν καὶ διαμετρῶν καὶ λογιζόμενος, ὅπως μὴ γένοιτο ἀπρεπὲς μηδὲ ἄχρεῖον ..... καὶ τελευταῖον εἰς τὰ ὄρη φθειρόμενος, οὐκ ὢν ἔμπειρος τῶν τοιούτων οὐδενός .... ἐῶ νῦν ἐπεξιέναι.

Dionem probatis suis consiliis totum se rei devovisse hic discimus, cum civium iussu in oppido locum aedificii

---

40,6. 4) 2. αὐτόν. αὐτὸ Casaub.

40,6. 5) 2. ποιουμένου. ποιησαμένου mrg. m. 2. πολλάκις. ἢ πολλάκις B. ἡ πολλάκις M. [sed ἢ a corr.]

40,7. ἀχρεῖον. ἄχριον M.

metiretur [μετρῶν καὶ διαμετρῶν] et operis rationibus studeret [λογιζόμενος]. Verba, quae sequuntur: καὶ τελευταῖον εἰς τὰ ὄρη φθειρόμενος videntur corrupta esse. Neque enim video, quomodo φθειρόμενος cum εἰς τὰ ὄρη coniungendum sit. Sed videtur Dio hoc loco de molestiis referre, quas in lapicidinis subierit.

Sed tantum aberat, ut Dio pro laboribus susceptis gratiam civium sibi mereret, ut contra gravissimas inimicitias subiret, cum aliis de causis, tum propter rem plane ridiculam, si Dionis verbis fidem adhibemus. Nam cum Prusae veterem quandam fabrilem officinam pronam in ruinam diruendam curasset, cives nonnulli gravissima in Dionem crimina contulerunt. Quae, cum mihi infra de adversariis Dionis disputanti pluribus illustranda sint, hoc loco praeteribo nunc id monere satis habens ex § 8 sq. patere ad opus exstruendum vetustiora quaedam aedificia Dionem diruenda curasse.

40,9. 7) οὐχ ὅτι τῶν κιόνων ἔμελεν αὐτοῖς τῶν ἱσταμένων οὐδὲ τῶν γείσων, οὐ τῶν οἰκοδομουμένων ἐργαστηρίων ἄλλοσε.

‚Non quia columnae eis sive zophori curae erant, sive officinae aliis locis collocandae.'

Quae verba, etsi cum prioribus male cohaerent, certe dicta sunt de novis aedificiis: columnis igitur illa ornabantur. Simul videmus Dionem curasse, ut officinae illae aliis locis restituerentur.

40, 10. 8) Cum de loco 40, 10 [εὖ γὰρ ἴστε sq.] iam supra [pg. 3] de dioecesi disputans egerim, satis habeo ostendere, quanti Dio aedificiorum et dierum festorum magnificentiam aestimet, qua non minus, quam libertate auctoritatem civitatum contineri dicat.

40, 12. 9) καὶ διδόναι μηδένα ἐῶντες καὶ τοῖς ἔργοις ἐμποδὼν γιγνόμενοι.

‚Neque quemquam impendere patientes et operibus obnitentes.'

Haec quoque in iis leguntur, quibus Dio adversa-

40,9. 1. ἔμελεν r., ἔμελλεν rel. 2. οὐ τῶν. ἢ τῶν susp. Emp. οὐδὲ τῶν Geel. — ἄλλοσε Emp. obs. pg. 52. ἄλλος v. ἄλλως rel. del. Reiske.

riorum malignitatem depingit. Sed notaverim iam non de uno opere [§ 5 ἔργον τινός], sed de pluribus eum loqui, quorum sumptus vel ultro [§ 3] vel ex plebisscito [cf. 48, 11: ἀπὸ τῶν βουλευτικῶν] cives nonnulli sibi iniunxerant, quos ab adversariis impediri, quominus promissa solverent, Dio queritur.

40, 15. 10) De loco 40, 15 ἐμοί τε παρέσχεν, ὧν ἐγὼ ἐδεόμην v. supra pg. 6.

II. Orationem 45, ut ad res Prusensium pernoscendas magni momenti, ita obscuram esse et haud dubie corruptelis laborare iam supra demonstravi. Cuius orationis extrema pars a § 12 usque ad finem orationis tendens iam mihi illustranda est, in qua Dio de studiis suis exornandi atque augendi oppidi loquatur, cum de loco § 3: ἀλλ' ἅπαν sq. iam supra egerim [pg. 9]. Itaque initium faciamus a § 12 verbis:

45, 12. 1) ἐλύπησα δὲ ἐν τοῖς ἔργοις τὴν πόλιν. περὶ δὲ τούτων, ὡς ἐγένετο, πολλάκις ἀκηκόατε· δεῖ δὲ καὶ νῦν ἴσως ἀναμνῆσαι. ἐγὼ γάρ, ἄνδρες, τὸ μὲν βούλεσθαι τὴν πόλιν κοσμεῖν καὶ κατασκευάζειν μὴ μόνον στοαῖς καὶ ὕδασιν, ἀλλά, εἰ δυνατὸν ἦν, καὶ τείχεσι καὶ λιμέσι καὶ νεωρίοις, ὁμολογῶ.

‚at operibus civitati detrimentum attuli. Quae, quomodo facta sint, cum saepe audiveritis, tamen nunc etiam referre necesse est. Atque concedo, o cives, me velle oppidum exornari et instrui non solum porticibus et aquis, sed etiam, si fieri posset, moenibus, portubus, navalibus.'

Discimus igitur Dionem saepissime de operibus exstruendis verba fecisse [cf. 40, 5] et adeo studio exornandi oppidi flagravisse, ut doleret, quod fieri non potuisset, ut moenibus, portubus, navalibus oppidum instrueretur, nam a mari Prusa ad Olympum sita partim Apamensium, partim Cianorum finibus secludebatur [cf. 40, 30]. Itaque cogebatur satis habere oppido porticus [cf. 47, 19. 40, 9 τῶν κιόνων.... ἱσταμένων οὐδὲ τῶν γείσων] et aquas exigere, sed ne ea

---

45, 12. 2. δεῖ. δὴ M.

quidem tum perfecta fuisse ex verbis *τὸ μὲν βούλεσθαι* colligitur, quamquam initium rei factum esse et ex iis, quae sequuntur, et ex orationibus 40 et 47 constat.

45, 13. 2) *καὶ τοῦτον τὸν ἔρωτα, εἴτε παιδικὸν φήσει τις εἴτε ἀνόητον οὐκ ἔξαρνός εἰμι, τὸ καὶ συνοικίζειν ἐθέλειν τὴν πόλιν καὶ πλῆθος ἀνθρώπων εἰς αὐτὴν, ὅσον δύναμαι, συναγαγεῖν καὶ οὐ μόνον τῶν ἐπιχωρίων, ἀλλ' εἰ δυνατὸν ἦν, καὶ ἑτέρας πόλεις συνελθεῖν ἀναγκάσαντα.*

‚neque hoc amore, licet puerilis nominetur aut stultus, me correptum esse nego: concedo me oppidum in unum locum contrahere velle eodemque quam maximam hominum multitudinem colligere, non suburbanorum solum, sed aliorum quoque oppidorum cives, si fieri posset, convenire cogentem.'

Novam iam Dio rationem civibus ostendit, qua patria augeri possit. Ad Epaminondae enim, Thesei, aliorum exempla provocans suadet popularibus, ut synoecismo urbem ampliare studeant. Cogantur enim non solum suburbani, sed etiam adiacentium vicorum incolae Prusae domicilium collocare. Cui rei perficiendae summas difficultates obstare Dio ipse non negat puerile aut stultum fortasse consilium illud videri concedens.

45, 14. 15. 3) *οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιστάμενός γε τὰς διανοίας τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων ἐνίων καὶ τὴν ἐμαυτοῦ δύναμιν καὶ τὰς ἀσχολίας καὶ τὸν χρόνον τῆς ἐπιδημίας, ὅτι μοι βραχύς ἐστι παντελῶς, οὔτε ἡ π τ ό μ η ν ο ὐ δ ε ν ὸ ς μ ε ί ζ ο ν ο ς οὔτε*

45,13. 1. *ἔρωτα* Reiske *ἔρωτα οὕτως* libri. *ἔρωτα ὄντως* susp. Emp. 2. *εἰμι. εἰμι, ὥστε* Pflugk., qui post *ἀναγαγεῖν* interponit *ὁμολογῶ*. — *τὸ καὶ* B. M. *καὶ τὸ* Casaub. r. *καὶ τῷ* rel. *καὶ δεδήλωκα τὸ* Reiske. — *συνοικίζειν* B. M. Casaub. r. *νῦν οἰκίζειν* rel. 4. *συναγαγεῖν* B. M. Reiske *ἀναγαγεῖν* rel. — *καὶ οὐ. καὶ* deleri vult Emp. 5. *ἀναγκάσαντα. ἀναγκάσας* Reiske.

45,14. 2. *ἐνίων* om. B. 3. *μοι* B. M. Casaub. r., *μὴ* v. m. 6. *αὐτοὶ* del. Reiske, *ἀεί τι* Jacobs, *ἀεὶ* Geel. Emp. — *τοιούτων* Reiske *τοιούτων τοιαῦτα* rel. *τοιούτων καὶ τοιαῦτα* vel *τοιούτων τὰ πολλὰ* Selden. *τοιούτων ταὐτὰ* Geel. *ἀνεπτέρωνται καὶ τοιαῦτα* [deletis v. *αὐτοὶ περὶ*] Pflugk. 7. *ἃ ἐνόμιζον* vel *εἴ τι ἐνόμιζον* Emp. *καὶ ἐνόμιζον* libri. *νομίζων* Reiske. *ὧν καὶ ἐνόμιζον* Selden. *ὃ καὶ ἐνόμιζον* Jacobs. — *συμφέρειν* M. Selden. *συμφέρον* reliq. 8. *κατασκευῆς* Reiske. *κατασκευῆς ἕνεκα* rel. 15. 2. *ποιήσειε. συμπονήσειε* Jacobs. — *ὄψεσθε. ὄψεσθαι* B. M.

ἤλπιζον, μόνον δὲ τὴν διανοίαν οὐκ εδυνάμην τὴν ἐμαυτοῦ κατέχειν, ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἐρῶντες αὐτοὶ περὶ τῶν τοιούτων διεξίασιν, οἵων καὶ ἐπιθυμοῦσι, κἀγὼ πολλάκις ἐμεμνήμην, ἃ ἐνόμιζον συμφέρειν γενέσθαι τῇ πόλει, κατασκευῆς καὶ συνοικισμοῦ καὶ προσόδων καὶ μυρίων ἄλλων. 15. ἃ εἴ ποτε γένοιτο καιρὸς ἐπιτελεσθῆναι καὶ θεῶν τις ποιήσειε, τοτε ὄψεσθε . . . .

,At cum animos infestos quorundam civium et meam auctoritatem et negotia et brevissimum tempus praesentiae meae in patria nossem, ad maiorem quandam rem non aggrediebar, neque sperabam, neque vero, quae ipse sentirem retinere poteram, sed ut amantes de amoribus suis solent exponere, ita ego quoque' — quae sequuntur, quia labem contraxere, ad verbum vertere non ausus sim. Neque vero dubito, quin ea in iis insit sententia, ut dicat Dio eadem ratione se quoque de synoecismo saepissime exposuisse et emolumenta descripsisse, quae ex eo urbi exspectanda sint.

Edocemur autem, quibus de causis Dio ab instituendo synoecismo se abstinuerit. Apertum enim est de ea re verba ἡπτόμην οὐδενὸς μείζονος dicta esse.

a) τὰς διανοίας τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων ἐνίων. Primum enim factionem extimescit Dio patriae splendori obnitentem [40,8: λόγοι δὲ sq. 10: βουλομένοις ἐν ἀσθενέσιν ἰσχύειν].

b) Deinde veretur, ne ipsius auctoritas adversariorum inimicitia infirmior sit [καὶ τὴν ἐμαυτοῦ δύναμιν].

c) Accedit, quod summae molestiae Dioni subeundae erant synoecismo comprobato [καὶ τὰς ἀσχολίας]. Neque enim, cum laboribus vel ex uno opere [40,7] ortis vix se parem fuisse queratur, mirum est, quod dubitabat ad synoecismum, qui labores multo graviores exigebat, perficiendum accedere, praesertim cum

d) iam consilium iniisset brevi post iterum peregrinari [καὶ τὸν χρόνον τῆς ἐπιδημίας, ὅτι μοι βραχύς ἐστι παντελῶς], qua de re initio quoque orationis iam locutus est [§ 1: τῆς ἐπιδημίας ταύτης, ἐπειδὴ καὶ βραχὺν οἴομαι τὸν λοιπὸν ἔσεσθαί μοι χρόνον]. De hac re conferas quoque part. F.

Neque igitur eo quidem tempore, quo Dio orationem habuit, spes erat exsequendi consilii illius [ἃ εἴ ποτε γένοιτο καιρὸς ἐπιτελεσθῆναι], quamquam summa inde emo-

lumenta civitati oritura esse Dio existimat. Nihilominus de studio illo, quo maxime ducebatur, iterum atque iterum verba faciebat sperans futuro quodam tempore deum civitati provisurum esse.

45,15. 4) *τότε δ'οὖν τοῦ ἡγεμόνος δεξαμένου τὸ πρᾶγμα τυχὸν μὲν δι' ὑμᾶς, ἴσως δὲ καὶ δι' ἐμὲ, καὶ συναγαγόντος ἐκκλησίαν οὐ προειδότος ἐμοῦ καὶ περὶ τούτων ἀναγιγνώσκοντος, οὐκ ἠδυνήθην τὴν ἡσυχίαν ἄγειν, ἀλλ' ἀνέστην καὶ συνεβούλευσα καὶ ἐνεδειξάμην τοῖς ἀγνοοῦσι τὸ πρᾶγμα.*

‚Neque vero tum, cum proconsul rem susceperat fortasse vestra, fortasse mea gratia et contionem me inscio convocaverat et de iis rebus legerat, silentium agere potui, sed surrexi et consului et ignorantibus rem demonstravi.'

Iam, cum quaeratur, quidnam fuerit *τὸ πρᾶγμα* illud, de quo Dio loquitur, putares synoecismum paullo ante commemoratum significari, nisi obstarent verba *ἅ εἴ ποτε γένοιτο* sq. Itaque referendus est locus ad ea, quae Dio in § 12 exposuit [*τὸ μὲν βούλεσθαι τὴν πόλιν κοσμεῖν καὶ κατασκευάζειν*], quod comprobatur comparato hoc loco cum illo orationis 40 loco, quem supra illustravi [*τοῦ ἡγεμόνος δεξαμένου τὸ πρᾶγμα* — 40,5 *τῶν ἡγεμόνων ἐσπουδακότων. ἴσως μὲν δἰ ὑμᾶς, ἴσως δὲ καὶ δι' ἐμὲ* — 40,5: *ἴσως μὲν ὑμῖν, ἴσως δὲ κἀμοὶ χαρίζεσθαι βουλομένων* et cf. quoque 45,15—40,6], ut iam dubitari non possit, quin *τὸ πρᾶγμα* illud idem sit atque *τὸ ἔργον* de quo Dio in oratione 40 verba facit. Itaque ea, quae ex oratione 40 discebamus, admodum comprobantur, cum Dio dicat proconsulem quoque rei studuisse, quin etiam Dione inscio contionem a proconsule convocatam esse, in qua Dio civibus rem exposuit.

45,16. 5) *καὶ μετὰ ταῦτα οὐχ ὁ μὲν δῆμος ὑμεῖς ἐπεθυμήσατε τῶν ἔργων; τῶν δὲ ἐν τέλει, τίς ἀντεῖπεν; οὐδὲ ἀντεῖπε μὲν οὐδεὶς, οὐ μὴν προθυμούμενος εὑρέθη καὶ συμπράττων, ἀλλὰ πάντες ὡς ἐπ'ἀγαθοῖς οὖσι καὶ συμφέρουσιν*

45,15. 1. *πρᾶγμα* B. M. *πρόσταγμα* rel. 2. *συναγαγόντος* Pflugk. *συνάγοντος* rel. 3. *τούτων. τοῦτον* B.

45,16. 3. *ἀντεῖπε. ἀντειπεῖν* M. — *οὐ μὴν* M. Pflugk. *οὐ μὴν οὐ* rel. *οὐ μὴν οὐδὲ* susp. Emp. 5. *μόνον. μόνον ἀλλὰ καὶ ἔργῳ εὑρέθησαν* Reiske. *μόνον ἀλλὰ καὶ* Pflugk. — *συνεισφέροντες. συνεκφέροντες* M.

οὐ λόγῳ μόνον συμπράττοντες καὶ συνεισφέροντες · καὶ τὸ πρᾶγμα ὡς καλὸν καὶ μεγαλοπρεπὲς καὶ τῇ πόλει συμφέρον, οὕτως ἐγένετο.

‚Et postea, nonne vos, cives, operum cupidissimi eratis? Quis vero eorum, qui in magistratibus erant, contradixit? Neque contradixit quisquam, neque inveniebatur, quin liberalem se atque iuvantem praestaret, sed omnes, ut in rebus bonis atque utilibus, non verbis solum adiuvabant et conferebant. Itaque opus pulcherrimum, magnificentissimum, civitati utilissimum perfectum est.'

Nihil est, quod ad hunc locum adnotem, cum satis habeam orationes 45 et 40 inter se conferre:

45,16: *καὶ μετὰ ταῦτα, οὐχ ὁ μὲν δῆμος ὑμεῖς ἐπεθυμήσατε τῶν ἔργων;*	40,6: *τοῦτον ἐμοῦ τότε εἰπόντος τὸν λόγον ἐπήρθη τε πρὸς αὐτὸν ὁ δῆμος* et: *πολλάκις ὑφ' ὑμῶν ἐκυρώθη.*
τῶν δὲ ἐν τέλει, τίς ἀντεῖπεν; οὐδὲ ἀντεῖπε μὲν οὐδείς,	*πολλάκις μὲν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ . . . . πολλάκις δὲ ὑπὸ τῶν ἡγεμόνων [ἐκυρώθη] οὐδενὸς ἀντειπόντος.*
οὐ μὴν προθυμούμενος εὑρέθη καὶ συμπράττων, ἀλλὰ πάντες ὡς ἐπ' ἀγαθοῖς οὖσι καὶ συμφέρουσιν οὐ λόγῳ μόνον συμπράττοντες καὶ συνεισφέροντες.	*καὶ πολλοὶ προετράπησαν φιλοτιμηθῆναι τῶν πολιτῶν*
καὶ τὸ πρᾶγμα . . . . . οὕτως ἐγένετο.	40,7: *ἐπεὶ δὲ ἀρχὴν ἔλαβεν.*

Itaque eadem plane hoc loco enarrantur atque in oratione 40, nisi quod Dio in oratione 45 aperte exprimit cives sumptus operis sibi iniunxisse, quod 40,6 circumscripserat tantum [*καὶ πολλοὶ προετράπησαν*]. Sed id quoque loco 40,3 videtur confirmari, quo Dio de pecuniis, quas ipse civitati promiserat, verba facit [pg. 8 sq.]. —

Iam si complectimur, quid ex oratione 45 de Dionis studio exornandi oppidi discamus, confirmatur primum argumentum orationis 40, cum constet auctore Dione opus quoddam [*ἔργον τι*] aedificatum esse, quod porticum fuisse veri simillimum est. Praeterea autem videmus ampliora

fuisse eius consilia. Aquis in urbem ducendis studuit, cogitaverat vel de aedificiis ad rem navalem pertinentibus. Accedit, quod de instituendo synoecismo primum in hac oratione verba facit.

III. In orationis 45 § 14 Dio se saepissime synoecismi mentionem fecisse dicit. Videamus igitur, num tales orationes exstent.

47,8. 1) *ἐγὼ γὰρ ἡψάμην πράγματος, ὃ μοι πολλῶν τῷ ὄντι πραγμάτων αἴτιον γέγονε καὶ θαυμαστῆς ἀηδίας.*

‚Ad rem enim agressus sum, quae mihi multorum re vera negotiorum et mirabilis cuiusdam molestiae causa fuit.'

Quaeritur, ex qua re Dio summas molestias sibi ortas esse queratur. Quam in insequentibus non aperte pronuntiat, sed comparatione quadam circumscribit. Cum Aristotele enim se confert, qui quominus Stagira diruta iterum conderet, civium stultitia impeditus est, qui *μᾶλλον δ' ἠροῦντο διῳκίσθαι κατὰ κώμας τοῖς βαρβάροις ὁμοίως, ἢ σχῆμα πόλεως καὶ ὄνομα ἔχειν* [§ 10]. Ex quibus verbis pronum est concludere Dionem illo loco de instituendo synoecismo cogitare. Quocum congruit 45,14, ubi exposuerat Dio consilio illi obstare *τὰς διανοίας τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων ἐνίων*. Iam vero pergit:

47,11. 12. 2) *ἀλλ' ὅπως μὴ καὶ τοῦτό μου διαβάλῃ τις, ὡς ἐγὼ Στάγειρα καὶ κώμην καλῶ τ ὴ ν π ό λ ι ν τ α ύ τ η ν· δύναμαι γὰρ ὀμόσας εἰπεῖν μηδεμίαν ἄλλην πόλιν ἐμοὶ κρείττω πεφηνέναι, κἂν εἰ μόνον εἶχε τὸ χαλκεῖον τὸ τοῦ δεῖνος, ὃ ἐγὼ κατέλυσα ὁ τὰς πόλεις πορθῶν καὶ τὰς ἀκροπόλεις.* 12. *ἵνα δ' οὖν μὴ ἐπιλάθωμαι, ο ὗ χ ά ρ ι ν ἀ ν έ σ τ η ν, . . .*

‚Ne vero quisquam mihi eam quoque rem falso crimini det, quod Stagira et vicum oppidum nostrum nomino. Iure iurando enim confirmare possum nullam aliam urbem mihi meliorem visam esse, etiamsi nihil nisi fabrilem illam cuiuslibet officinam haberet, quam ego dirui populator ille oppidorum et arcium. Sed ne rei obliviscar, propter quam surrexi . . . .'

47,11. 1. *τοῦτό μου. τοῦ τόμου* V. *τοῦ νόμου* m. *τοὔνομα* Selden. — *διαβάλῃ. διαβάλλῃ* B. 2. *κώμην* B. M. *κωμίον* Reiske. *πόλιν* rel. *ἄπολιν* vel *οὐ πόλιν* Selden. 12. 2. *ἀνέστην. ἀνεστιν* M.

Itaque non de synoecismo acturus est Dio, sed de eadem re, de qua in orationibus 40 et 45 exposuit, scilicet de aedificio illo et de inimicitiis, quas inde susceperat. Quare, quid sibi velit illa cum Aristotele comparatio, non plane liquet, nisi censebimus aedificia illa publica aliquo modo cohaerere cum synoecismi rationibus. Demonstratur porro his verbis Prusam hoc tempore iam fuisse urbem, non vicum neque igitur re vera cum Stagiris comparari posse.

47, 12. 3) *νῦν οὖν τίνα με βούλεσθε ὑποσχεῖν ζημίαν ἀντὶ τούτου τοῦ ἁμαρτήματος ἢ τί ποιεῖν; ἀξιῶ συμβούλους ὑμᾶς γενέσθαι· πότερον καθελεῖν με τὸ ἔργον ταῖς ἐμαυτοῦ δαπάναις τὸ γεγονὸς καὶ ποιῆσαι πάντα, ὁποῖα ἦν πρότερον; ἀλλ' ἴσως οὐ δυνήσομαι.*

‚Iam quamnam poenam a me exsequendam esse vultis aut quid fieri? Peto, ut mihi consilium detis, utrum meo sumptu opus exstructum deleam et omnia in pristinam conditionem reducam, quod fortasse non potero.'

Docent haec verba consilium orationis, quae tota directa est contra adversarios illos, quos in transitu tetigerat Dio in orationibus 40 et 45. Prodeant denique et libere fateantur, quid velint. Eadem vero ratione aliis quoque locis contra adversarios pugnat, nempe § 14: *τί οὖν βούλεσθε;* sq., quo loco in universum tantum promittit se omnia facturum esse, quae urbi conducant et iterum § 19: *τί οὖν βούλεσθέ με ποιεῖν;* sq. Quae, etsi initio parum perspicua sunt, certe tamen eodem consilio dicta sunt. Prodeant adversarii et certa postulent, se obtemperaturum esse. Proconsulem, si velint, se aditurum esse, ut symbolas exigat, ipsum, si velint, collaturum esse de suo [cf. infra pg. 32 sq.].

47, 13. 14. 4) *καὶ τὸν αὐτοκράτορα τοιαῦτα ἐπιστέλλοντα τύχῃ τινί, ὅτι βούλεται πάντα τρόπον αὔξεσθαι τὴν πόλιν ὑμῶν. ἐπιτρέψατε δὲ ἀναγνῶναι τὴν ἐπιστολήν . . .* 14. *ᾤμην καὶ παρ' ὑμῖν ταῦτα ἔσεσθαι καὶ μηδένα λυπήσεσθαι τῆς πόλεως κατασκευαζομένης.*

Scimus etiam ex oratione 44, 12 imperatorem quoque consiliis Dionis favisse. Dolendum est, quod Dio utroque

---

47, 14. 2. *λυπήσεσθαι. λυπηθήσεσθαι* Reiske.

loco, quo de imperatoris epistulis disputat, de argumentis eorum taceat. Quare ne hic quidem edocemur, quid significent verba 40, 16: *ἐμοί τε παρέσχεν, ὧν ἐγὼ ἐδεόμην* et 45, 4: *ἀλλ' ἅπαν* sq. Provocat igitur Dio ad has epistulas easque ad debilitanda adversariorum crimina recitat.

47, 14. 5) *καὶ γὰρ ἔδοξεν ὑμῖν ταῦτα καὶ πολλὰ καὶ πολλάκις συνεισεφέρετε καὶ προεθυμεῖσθε.*

‚Nam placuerunt vobis ea et multa saepissime ipsi contribuebatis et liberales vos praestabatis.'

Monet contra illos adversarios Dio priore tempore omnes Prusenses secum de hac re consensisse. Quibuscum conferas ea, quae 40, 6 et 45, 16 narrantur: iam intelliges tribus locis Dionem de eadem re eisdem fere verbis loqui.

47, 15. 6) *πόλεως δὲ ὄφελος εὐπρεποῦς γιγνομένης, ἀέρα πλείονα λαμβανούσης δι' εὐρυχωρίαν, τοῦ μὲν θέρους σκιὰν, τοῦ δέ χειμῶνος ἥλιον ὑπὸ στέγῃ, ἀντὶ φαύλων καὶ ταπεινῶν ἐρειπίων οἰκήματα ὑψηλὰ καὶ μεγάλης πόλεως ἄξια.*

‚Oppido vero emolumento est, si pulchrum fit, si ex latitudine plus aeris recipit, aestate umbram, hieme solem sub tecto, pro foedis et humilibus ruinis alta aedificia magnoque oppido digna.'

Haec exscripsi, quia et similitudinem quandam cum iis, quae Dio 40, 10 exposuit [*ἐν γὰρ ἴστε* sq.], in loco inesse nemo negabit et haud dubie verba illa ad porticum referenda sunt, ut iam exploratum habeamus opus in loco dirutae officinae exstructum porticum fuisse [cf. 40, 9. 45, 12].

47,16. 17. 7) *ὅτι τοὺς Ἀντιοχέας οὐκ εἰκός ἐστιν οὐδενὸς ἅψασθαι τοιούτου .... καὶ στοὰς ἑκατέρωθεν πεποιήκασιν. οὐδὲ τοὺς Ταρσεῖς οὐδὲ νῦν Νικομηδεῖς. οἵ ἐψηφίσαντο τὰ μνήματα μεταίρειν.* 17. *ὁ δὲ Μακρῖνος, ὃν*

47, 14. 2. *συνεισεφέρετε* M. r. *συνεισφέρετε* B. v. m. — *προεθυμεῖσθε. προθυμεῖσθε* B.

47,15. 1. *ὄφελος* Emp. *ὄφελος οὐδὲν* libri. *ὄφελος οἴεσθαι εἶναι μᾶλλον* Reiske. 2. *δι'* Casaub. r. om. rel. *καὶ* susp. Emp. — *εὐρυχωρίαν. εὐρυχωρίᾳ* Selden. Reiske supplebat *τῶν ἀγυιῶν καὶ διὰ.* — *τοῦ μὲν* B. M. Reiske. *τοῦ μὴν* rel. 3. *ὑπὸ στέγῃ. ὑποστέγη* M. *ὑπὸ στέγῃ ἐχούσης* Reiske. — *ἀντὶ. ἀντὶ δὲ* Reiske.

εὐεργέτην ἀνεγράψατε τῆς πόλεως, τὸ Προυσίου βασιλέως μνημεῖον μετήνεγκεν ἐκ τῆς ἀγορᾶς καὶ τὸν ἀνδριάντα. οὐδεὶς γάρ ἐστι παρ' ἐκείνοις φιλόπολις οὐδὲ ἀνὴρ ἐπιμελὴς περὶ τοὺς θεούς· ἀλλὰ παρά γε ἡμῖν ἦσαν πολλοί.

‚quod nimirum verisimile non est Antiochenos talia sibi parare . . . . . qui utrimque porticus exstruxerunt, neque Tarsenses neque nunc Nicomedenses, qui monumenta loco movenda esse decreverunt. Macrinus vero, quem de civitate bene meruisse litteris publicis pronuntiavistis, Prusiae regis monumentum et statuam de foro submovit. Neque enim apud illos quisquam patriae amans est aut qui deis consulat. At apud nos multi erant.'

Scimus Dionem [40,11], ut cives ad ornandam urbem impelleret, solere aliarum urbium Asiae exempla proponere. Quod idem his verbis fieri apertum est, etsi de verbis *πολὺ — μῆκος*, quae omisi, certi nihil dicere audeo. Per ironiam autem illarum urbium commemorationem ita conformavit Dio, ut dicat non verisimile esse [*εἰκός*] talia eas molituras esse, dum contrarium enuntiato relativo breviter subiungit.

Discimus autem ex hoc loco de rebus Prusensibus, non solum officinam illam remotam et porticum aedificatam esse, sed etiam monumenta quaedam et statuas a Dione loco mota esse et inde contra Dionem sacrilegii crimina surrexisse.

47,17. 8) *τί γάρ ἐμοὶ τῆς ἐνθάδε στοᾶς, ὥστερ οὐκ ἔχοντά με, ὅποι βούλομαι περιπατεῖν;*

‚Quid enim mea interest porticum hic aedificari, quasi non habeam, ubi ambulem?'

Impetus adversariorum refutantur dicentium Dionem sua, non civitatis commoda respicientem civibus persuasisse, ut p o r t i c u s illa aedificaretur.

47,16. 3. *νῦν. οὖν* Emp. 17. 1. *Μακρῖνος* B. Casaub. r. *μακρεῖνος* M. *Μακαρῖνος* v. m. — *ἀνεγράψατε* B. M. v. *ἀνεγράψατο* m. *ἀνεγράψαντο* r. ex interpr. 2. *τὸ Προυσίου* B. M. [sed *τὸ* in rasura]. Reiske. *τοῦ Προυσίου* rel. *τὸ τοῦ Προυσίου* Jacobs. add. pg. 19. — *βασιλέως. τοῦ βασιλέως* M. 3. *ἀνδριάντα. ἀνδρειάντα* M. 4. *Φιλόπολις. φιλοπόλεις* M. — *οὐδὲ ἀνήρ. ἀνὴρ οὐδὲ* Emp.

47, 18. 19. 9) *νῦν γάρ, ἐὰν ἅπτωμαι τοῦ πράγματος καὶ σπουδάζω γίγνεσθαι τὸ ἔργον, τυραννεῖν μέ φασί τινες καὶ κατασκάπτειν τὴν πόλιν καὶ τὰ* ἱ ε ρ ὰ π ά ν τ α. *δῆλον γάρ, ὅτι ἐνέπρησα τὸν* ν ε ὼ τ ο ῦ Δ ι ό ς. *καὶ τοὺς* ἀ ν δ ρ ι ά ν τ α ς ἐ κ τ ο ῦ μ υ δ ῶ ν ο ς *ἐῤῥυσάμην καὶ νῦν ἐν τῷ φανερωτάτῳ κεῖνται τῆς πόλεως. ἐὰν δὲ τὴν ἡσυχίαν ἄγω μὴ βουλόμενος μηδένα στένειν μηδέ προσκρούειν μηδενὶ, βοᾶτε ὑμεῖς· γιγνέσθω τὸ ἔργον, ἢ καθαιρείσθω τὸ γεγονός· ὥσπερ ἐμοὶ τοῦτο προφέροντες καὶ ὀνειδίζοντες.* 19. *τί οὖν βούλεσθέ με ποιεῖν; ὃ γὰρ ἂν εἴπητε, τοῦτο ποιήσω καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων . . . .*

‚Nunc enim, si ad rem aggredior et curo, ut opus fiat, nonnulli dicunt tyrannum me esse et oppidum a me dirui atque templa omnia. Iovis scilicet templum igni everti: at statuas ex putredine eripui, ut iam omnibus conspicuae sint. Sin autem quietem ago, cum mihi proposuerim neminem premere aut laedere, vos clamatis: „Perficiatur opus, aut quod perfectum est, diruatur“, mihi quasi illud crimini et opprobrio dantes. Quid iam a me fieri vultis? Nam quidquid vos iusseritis, faciam in omnibus quoque aliis rebus . . .‘

Confirmatur primum iam non solum de officina illa agi, sed etiam sacra quaedam Dionis consiliis tangi. Maiora igitur ille agitabat, quam unius porticus erectionem. Non solum nova aedificabat, sed vetera mutabat publica aedificia. Quare in tanta urbis commutatione mirum non est exstitisse contra eum prioris aetatis defensores. Item hoc loco optime docemur de condicione, qua usus sit hoc tempore Dio. Divisa erat civitas: altera pars, ut pergeret eum adhortabatur, altera restitit. Fuisse quoque videntur [§ 19], qui sumptus ad has res impensi rationes postularent, sive de symbolis promissis, sed non solutis quererentur. Et intelligimus, cur in tanta

---

47,18. 4. *ἐνέπρησα* r [idem *ἐνέπρησ' ἂν*]. *ἐνέπρησαν* B. M. v. *ἀνέπρησαν* m. — *νεὼ* M., *νεὼν* rel. — *καὶ τούς. καίτοι τοὺς* vel *ὅς τοὺς* Emp. 5. *μυδῶνος. μύδωνος* M., *μυλῶνος* Casaub. r. — *ἐῤῥυσάμην. ἐρυσάμην* M. 7. *στένειν. στείνειν* Emperii programma de oratione Corinthiaca pg. 30. 19. 1. *βούλεσθέ με ποιεῖν*; B. M. Casaub r. *βούλεσθε*; *μὴ ποιεῖν*, quibus infra opponantur *ἀλλὰ ποιεῖν* sq. Emp. 2. *ἁπάντων*. post hoc verbum *οὐδὲν ἀντερῶ* supplet Reiske.

opinionum discrepantia iterum iterumque postulaverit Dio ut tandem cives, quid vellent, aperte exponerent.

Itaque omnis oratio 47 contra adversarios dicta est, quos Dio aedificandi consiliis sibi paraverat. De synoecismo autem, quem § 10 obiter Dio tetigerat, ne verbum quidem legitur. Jam antequam ea, quae de Dionis de patria meritis ex tribus illis orationibus 40, 45, 47 didicimus, colligimus, aliarum orationum locos paucos afferre necesse est.

IV. Ex oratione 43 duo sunt loci adhibendi, quibus Dio de suis de patria meritis loquitur, nempe:

43,7. 1) *τῆς μὲν γὰρ εὐτυχίας τῆς ἐμαυτοῦ παρεχώρησα ὑμῖν, τῆς δὲ δυστυχίας τῆς ὑμετέρας μετέλαβον.*

,Meae enim prosperae fortunae participes vos feci et vestrarum rerum adversarum particeps fui.'

Contendit Dio commoda quaedam, quibus ipse fruebatur, a se patriae concessa esse. Quae, qualia fuerint, non liquet. Sed cogitari potest aut de amicitia, qua Dio cum imperatore coniunctus erat [45,3: *ἀλλ' ἅπαν* sq.], aut de pecuniis, quas patriae promiserat [40,3. 47,19]. Quod autem dicit se etiam rerum adversarum participem fuisse, fortasse cogitat de molestiis, quae cum tanta urbis transformatione coniunctae erant.

43,11. 2) *ἀδικεῖ Δίων .... ἀναπείσας δὲ ἡγεμόνα πονηρὸν, ὥστε τὸν μὲν δῆμον βασανίσαι καὶ ἐξελάσαι ὅσους ἂν δύνηται πλείστους, ἐνίους δὲ καὶ ἀποκτεῖναι, παρασχὼν ἀνάγκην αὐτοῖς ἑκουσίως ἀποθανεῖν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι πρεσβύτας ὄντας φυγεῖν μηδὲ ὑπομένειν καταλιπεῖν τὴν πατρίδα· συμπράττων δὲ καὶ νῦν ἅπαντα τῷ τυραννήσαντι τοὺς θεοὺς καὶ ὅπως ἐκεῖνος καλῶς ἀγωνιεῖται καὶ κατὰ κράτος παραλήψεται τὰς πόλεις καὶ τοὺς δήμους, ὅσον ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ κατασκευάζων·*

,Peccat Dio, quod .... et principi malo persuasit, ut populum tormentis cruciaret et quam plurimos expelleret,

43,11. 3 *πλείστους. πλείους* M. 5. *καταλιπεῖν. καταλείπειν* M. 6. *δὲ καὶ* r. *τε καὶ* rel. — *τυραννήσαντι. παρανομήσαντι* Pflugk. 8. *ὅσον ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, κατασκευάζων* Emp. Pflugk. *κατασκευάζων, ὅσον ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ κατασκευάζειν* rel. *τοὺς βωμοὺς κατασκάπτων* Selden,

quin nonnullos etiam interficeret ultro mortem eos petere cogens, quia senes illi neque fugere neque a se impetrare poterant, ut patriam relinquerent, et nunc etiam deorum inimicum omnibus in rebus adiuvat, et, quantum per ipsum fieri potest, id spectat, ut ille prospere succedat et per vim oppida et civitates occupet.'

Dolendum est, quod Dio hoc loco adversariorum non ipsos impetus causis refellit, sed eos in ridiculum augens ludit. Tamen, nisi subesset huic ludo aliqua veritas, haec essent plane inepta. Atque, si accuratius haec verba examinabimus, inveniemus omnia, quae dicta sunt de tyranno a Dione adiuto, non posse non dicta esse de proconsule. Nunc videas, quaenam contra illum crimina proferantur: *ἐξελάσαι, ὅσους ἂν δύνηται πλείστους .... διὰ τὸ μὴ δύνασθαι .... φυγεῖν μηδὲ ὑπομένειν καταλιπεῖν τὴν πατρίδα* et *κατὰ κράτος παραλήψεται τὰς πόλεις καὶ τοὺς δήμους*. Iam vero, si reputamus Dionem hoc loco proconsulis facta non cum fide narrare, sed tumultuantis populi odio iraque inflammati de eis declamationes referre, veri non dissimile videbitur hoc loco de *συνοικισμῷ* agi, in quo scilicet non quidem saeviatur contra deos, sed templa aliis locis collocentur, homines non quidem interficiantur, sed cogantur non sine molestiis nova domicilia quaerere. Neque absonum est hoc loco senum potissimum mentionem fieri. Nam illi tali commutatione prae ceteris vexari solent.

Itaque Dionem ea, quae summo studio concupiverat, aliqua ex parte consecutum esse verisimile est, neque vero per cives suos, ut speraverat [45,15], sed auctoritate proconsulis Romani. — Quae si recte disputata sunt, haec oratio habita est p o s t orationes hactenus commemoratas.

V. Reliqui sunt tres loci orationis 48, qua Dio cives quosdam defendit, qui arguebantur, quod pecunias publicas retinerent [cf. 47, 19].

48, 11. 1) *ἀλλ' ἴσως ἐδυσχεράνατε, ὅτι οὐκ ἐγένετο τὸ ἔργον. γίγνεται καὶ σφόδρα ἔσται ταχέως, μάλιστα τούτων*

48,11. 3. *ἐχοντὶ. ἐκόντην* [corr. vulg.] M. — *διδῶσιν. διδύασιν* Casaub. *δίδωσιν* v. m.

προθυμουμένων καὶ σπουδαζόντων, ἐὰν ἑκοντὶ διδῶσιν· οὐδὲ γὰρ ἄκοντες ὑμῖν ὑπέσχοντο.

‚At indignati fortasse eratis, quod opus non perficiebatur. Perficitur et brevi aedificatum erit hisce praecipue operam dantibus studiumque adhibentibus, si ultro dabunt. Neque enim inviti polliciti sunt.'

Patet ex his verbis etiam orationem 48 eo tempore habitam esse, quo Dio patriam aedificiis ornare coeperat. Disputat autem de eisdem symbolis, de quibus 45, 16 [*οὐ μὴν προθυμούμενος εὑρέθη καὶ συμπράττων — οὐδὲ γὰρ ἄκοντες ὑμῖν ὑπέσχοντο*] dixerat, sed notandum est eorum hac oratione mentionem nullam fieri, qui contra Dionis consilia exstiterant. Nam etiam

48, 9. 2) *οἴεσθε ἀγορᾶς καὶ θεάτρου καὶ γυμνασίων καὶ στοῶν καὶ χρημάτων εἶναί τι ὄφελος τοῖς στασιάζουσιν;*

‚Num putatis ex foro, theatro, gymnasiis, porticibus, opibus commoda excipi a dissidentibus?'

ita dicit Dio, ut videantur omnes cives summo studio opera illa expetere. Itemque videmus non solum de una porticu agi, sed de aliis quoque monumentis, quod idem prodit locus

48, 12. 3) *οἴεσθε, ὅτι περὶ στοᾶς ἦν ἂν ἐμοὶ λόγος ἢ ἄλλου τινός, εἰ ἑώρων ὑμᾶς διαφερομένους;*

‚Num me porticus vel alius cuiusdam operis rationem habiturum putatis esse, si vos discordes viderem?'

Quocum conferas locos supra illustratos 45, 12: *τὸ μὲν βούλεσθαι* sq. et 48, 9.

De Dionis de patria meritis haec igitur discimus:

A. In rebus divinis Dio cives adiuvabat: 40, 5.

B. Imperatoris epistulas civibus legebat: 40,5, cf. 44,12 et 47, 13.

C. Imperatoris gratiam, qua ipse fruebatur, in cives contulit: 40, 15. 45,3.

48,9. 1. *οἴεσθε. οἴεσθαι* M.
48,12. 1. *ἦν ἄν. ἦραν* M.

D. Imprimis vero patriae miseram condicionem aegre ferens: 40,5 speciem oppidi augere studebat, quamobrem

a) aedificiis exstruendis operam dabat, quibus auctoritatem patriae magnam partem contineri censebat: 40, 10. 45, 12. 47, 15,
quam rem imperatori quoque curae esse non ignorabat: 47, 13.
Itaque de exstruenda porticu orationes habuit: 40,5. 6. 9. 45,12. 15. 47,15. 16. 17. 19. 48, 12.
Probato opere a magistratibus Prusensibus: 40, 6. 45,16
et a populo, cum nemo contradiceret: 40,6. 45,16. 47,14
et initio aedificandi facto: 40, 7. 45, 16
Dio, cui opus perficiendum commissum erat: 40, 7, ut aedifiicii locum expediret, fabrilem quandam officinam pronam in ruinas: 40, 8 sq.
diruendam curavit: 40, 8. 47, 11. 12.
Neque Dio porticu solum, sed aliis quoque aedificiis a civibus probatis oppidum exornari volebat: 45, 12. 48, 9. 12,
et statuas veteres ruinis obrutas in integrum restituit: 47, 18.
Praeter officinam illam monumenta quoque publica sacra loco mota sunt: 47, 16. 17. —
Quorum operum sumptus cives auctore Dione ultro sibi iniunxerunt: 40, 6. 12. 45, 16. 47, 14,
et Dio ipse se partem aliquam pecuniae daturum esse promisit: 40, 3. 47, 19. 48, 11.
Sed cum pecuniis a nonnullis retentis opera non procederent 47, 19. 48, 11,
summa civium indignatio orta est. Itaque Dio, qui ipse quoque pecunias promissas non solverat, quamquam ipsi quidem cives parcebant: 40, 3. 48, 11, operam dabat, ut pecuniae exigerentur ab iis, qui promiserant: 47, 19; cf. or. 48.

b) Auctoritatem vero patriae maxime augeri posse existimabat, si civitas synoecismum quendam probaret: 45,13,
de quo saepissime se dixisse contendit: 45,14,

sed in orationibus, quas nos legimus, non nisi tecte mentionem facit: 43,11. 47,8 sq.

Qui synoecismus, cum multis civibus displiceret: 45,14, tamen proconsule Romano in auxilium vindicato aliqua ex parte perfecta videtur esse: 43,11.

De temporis rationibus vero haec discimus:

Orationes 40, 45, 47, 48 scriptae sunt, postquam Dio urbem ornare coepit et antequam ea res absoluta est.

Oratio 40 videtur tantummodo porticus in officinae loco exstructae rationem habere.

Oratio 45 de aedificiis in universum disputat.

Orationes 47 et 48 plura aedificia praeter porticum commemorant.

In orationibus 40, 45, 47 adversarii Dionis notantur, qui haec consilia improbant.

In oratione 48 omnes cum Dione videntur consentire.

C. De Dionis adversariis.

Vidimus saepissime in his orationibus contra adversarios loqui Dionem, quos conducet accuratius hoc capite examinare. Atque praemitto inimicitias illas duobus quasi terminis includi, nam ut ex oratione 44, prima illa oratione Bithynica, discimus summam concordiam intercedere inter Dionem civesque [cf. 44,1. 2. 5. 6], ita in oratione 48 Dio cives quosdam defendens non solum inimicitiarum sibi illatarum mentionem non facit, sed etiam cives adhortatur, ne ipsi parcant, cum aliis se praeferri nolit [48,11]. At orationes 40, 43, 45, 47 plenae sunt querellarum de adversariorum malignitate. Sed iam singula inspiciamus.

I. 40,1. 1) *ὅτι καὶ πολλοὺς ὁρῶ .... τῆς παρ' ὑμῖν πολιτείας ἐμπείρους ὄντας, (ἐμὲ δὲ ὑπώπτευον · τὸ γὰρ ἀληθὲς εἰρήσεται · βαρύνεσθαί τινας ὡς ξένον καὶ περιττόν).*

‚Quia multos video .... reipublicae vestrae peritos (me autem suspectum habentes. Verum enim fatebor nonnullos me ut hospitem et praepotentem moleste ferre).'

Dio, postquam exposuit, cur rem publicam administrare noluisset [videre enim se multos huic rei aptissimos], ut parenthesin interponit haec verba, quae in universum indicant suspectum se esse civibus. Statim autem adiungit non omnibus se displicere, sed quibusdam ut peregrinum et praepotentem.

40,8. 2) *λόγοι δὲ ἐγίγνοντο πολλοὶ μέν, οὐ παρὰ πολλῶν δὲ καὶ σφόδρα ἀηδεῖς, ὡς κατασκάπτω τὴν πόλιν, ὡς ἀνάστατον πεποίηκα σχεδὸν ἐξελαύνων τοὺς πολίτας, ὡς ἀνῄρηται πάντα, συγκέχυται, λοιπὸν οὐδέν ἐστιν. καί τινες ἦσαν οἱ σφόδρα ὀδυ-*

ρόμενοι τὸ χαλκεῖον τὸ τοῦ δεῖνος, χαλεπῶς ἔχοντες, εἰ μὴ μενεῖ ταῦτα τὰ ὑπομνήματα τῆς παλαιᾶς εὐδαιμονίας.

‚At sermones fiebant multi, neque vero a multis iique valde iniucundi me oppidum suffodere, reddidisse fere vastum civibus expulsis, per me omnia deleta atque confusa neque quidquam reliquum esse. Et nonnulli erant, qui lamentarentur de fabrili cuiusdam hominis officina indignantes monumenta illa pristinae felicitatis non manere.'

Hoc loco exstitisse nonnullos dicit non multos, sed eos, qui saepe et acerbe Dionem vituperarent, quod urbem devastaret civesque expelleret. Inter quos porro certos homines accuratius notat [*καί τινες ἦσαν* sq.], eos scilicet, qui contra Dionis impietatem declamabant, quod fabrilem illam officinam, in qua monumenta quaedam videntur fuisse [cf. 47,11. 16. 17], deleverat. Atque de his hominibus disserere pergit Dio usque ad § 12. Primum autem illorum religionem ridiculam esse iis, quae sequuntur, exponit; officinam enim pronam in ruinam civitati dedecori et ignominiae magis, quam honori fuisse. Sed id ipsum illos delectasse, nam *χαλεπῶς εἶχον*, i. e. animis contra civitatem infensis erant. Deinde pergit:

40,9. 3) *ἀλλ' ὅμως ἦσαν οἱ χαλεπῶς ἑώρων ἀφανιζόμενα τὰ σημεῖα τῆς ἔμπροσθεν πενίας καὶ ἀδοξίας, οὐχ ὅτι .... ἀλλ' ἵνα μηδέποτε μεῖζον ὑμεῖς ἐκείνων φρονῆτε.*

‚Nihilominus vero erant, qui indignarentur diruta videntes prioris paupertatis et dedecoris testimonia, non quia ...., sed ne vobis liberalitate unquam cederent.'

Redit igitur his verbis Dio ad eos, quos fere eisdem verbis § 8 perstrinxerat. Conferas enim: *ἀλλ' ὅμως ἦσαν οἱ* — *καί τινες ἦσαν οἱ. χαλεπῶς ἑώρων ἀφανιζόμενα τὰ σημεῖα τῆς ἔμπροσθεν πενίας καὶ ἀδοξίας* — *χαλεπῶς ἔχοντες, εἰ μὴ μενεῖ ταῦτα τὰ ὑπομνήματα τῆς παλαιᾶς εὐδαιμονίας.* Et perspicua est argumentatio Dionis: Dictitant adversarii me impium esse, quod pristinae felicitatis testimonia sustuli. At demon-

---

40,8. 1. *ἐγίγνοντο. ἐγέγνοντο* [corr. vulg.] M. 2. *σφόδρα ἀηδεῖς* B. M. Casaub. r. *σφόδρα ἡδεῖς* v. m. 5. *τὸ χαλκεῖον τὸ* B. M. mrg. m. *τὸ χαλκεῖον* om. rel. — *μενεῖ. μένει* M. 6. *τὰ* om. B. — *εὐδαιμονίας, δυσδαιμονίας* Geel.
40,9. 1. *ἑώρων* B. M. Casaub. r. *ὧραν* v. m.

stravi re vera dedecoris atque ignominiae monumenta me delevisse, ergo haec quidem inimicitiae causa per se ipsa in irritum cadit. Sed accuratius nunc videmus veram illius simultatis originem. Quae non inde repetenda est, quod aedificia illa in loco dirutorum a Dione exstructa improbarent [*οὐχ ὅτι* sq.], sed tumultuantur, quia infesti sunt civitati atque timent, ne porticu illa exstructa civium et animus crescat et honor. Sequitur locus identidem a me citatus atque illustratus: *εὖ γὰρ ἴστε* sq., quo Dio exponit civitatum auctoritas quibus rebus augeatur. Videntur quidem haec primo obtutu generaliter dicta esse, nam intelleximus et exornationem oppidi et *διοικήσεως* institutionem a Dione commendari, quibus rebus Dio eos, qui patrias amarent, unice delectari debere docet. Sed re vera haec omnia adversariorum descriptioni inserviunt. Pergit enim:

40,10. 4) ***τοῖς δὲ ἐναντίως ἔχουσι καὶ βουλομένοις ἐν ἀσθενέσιν ἰσχύειν καὶ τὴν δόξαν τῆς πόλεως ἀδοξίαν αὑτῶν νομίζουσι δέος ὄντως φέρει καὶ λύπην καὶ φθόνον.***

‚Verum enim vero iis, qui contraria sequuntur et inter infirmos multum valere volunt et civitatis gloriam ipsorum ignominiam putant esse, timorem et tristitiam et invidiam afferunt.'

Hisce verbis eosdem adversarios Dionis significari manifestum est, dummodo conferas § 9: *ἵνα μηδέποτε μεῖζον ὑμεῖς ἐκείνων φρονῆτε* — § 10: *βουλομένοις ἐν ἀσθενέσιν ἰσχύειν*. Illos igitur iterum dicit velle infirmos manere Prusenses, ut ipsi polleant, nam omnibus rebus, quibus Dio civitatis auctoritatem augeri docet, obniti eos [*τοῖς δ' ἐναντίως ἔχουσιν*]. Nam quoad Prusae et institutiones et externa species vici magis quam oppidi condicionem sequebantur, isti magna quidem auctoritate fruebantur, quamquam inter infirmos;

40,10. 3. *δέος ὄντως* M. *δεόντως* rel. *δέος πάντως* Emp. — *φέρει καὶ λύπην* Pflugk. *φέρει αὐτὴν* M. *φέρειν αὐτὴν* rel. Locum const. Casaub.: *δέος τε φέρει ταῦτα καὶ φθόνον*. Selden: *δῆλον ὡς φέρει λύπην* [vel *ναυτίαν*] *καὶ φθόνον*. Reiske: *δεῖ αὐτὰ φέρειν λύπην καὶ φθόνον* vel *δεινὴν ἀνάγκῃ ταῦτα φέρειν λύπην καὶ φθόνον*. Pflugk: *δέος τε φέρει καὶ λύπην καὶ φθόνον*.

nunc timebant, ne concessa dioecesi et exornato oppido a civibus maiora spectantibus despicerentur. Gravissima igitur haec verba sunt ad adversariorum illorum naturam cognoscendam. Nimirum de hominibus Dio loquitur, qui et dioecesi instituendae [cf. 45,10] et consiliis Dionis resistebant. Neque tamen mirum est Dionem, qui ipse rationem institutae *διοικήσεως* ex parte non probabat, his locis praecipue de inimicitia in se suaque consilia lata queri, cum cives adhortetur, ut Smyrnaeorum, Ephesiorum, Tarsensium, Antiochenorum exempla imitarentur, quos plurimum in oppida exornanda impendisse ex orationis 47 § 16 discimus.

40,11. 12. 5) ***καὶ ταῦτα ἐπίσταμαι σαφῶς, ὅτι καὶ πρότερόν τινες ἀκούοντες διεῤῥήγνυντο καὶ χαλεπῶς ἔφερον, εἰ τοιούτων ἐθίζεσθε ἀκροᾶσθαι λόγων καὶ μετὰ τοιούτων πόλεων τολμᾷ τις ὀνομάζειν τὴν ὑμετέραν,*** 12. ***ὅπως τ' ἐπὶ τούτοις σχετλιάζοντες καὶ τοιαῦτα λέγοντες καὶ διδόναι μηδένα ἐῶντες καὶ τοῖς ἔργοις ἐμποδὼν γιγνόμενοι οὕτως ἐμὲ διέθηκαν, ὥστε ὀλίγου φυγὴν ἐμαυτοῦ καταψηφίσασθαι.***

,Neque ignoro et priore tempore nonnullos stomacho quasi diruptos esse animadvertentes vos talia audire consuefieri et inter talia oppida vestrum quoque confidenter enumerari, [neque ignoro], quomodo propter haec indignantes et talia dicentes neque quemquam impendere patientes et operibus obnitentes eo me perduxerint, ut paene mihi ipse exsilium imponerem.'

Magni vel haec verba momenti sunt ad pernoscendos Dionis adversarios. Ac primum discimus Dioni non singulos quosdam, sed factionem quandam oppugnasse, cum non Dioni soli obniterentur, sed iamdudum, quandocumque de oppido exornando verba fiebant, summa cum indignatione eiusmodi consiliis restitissent [*διεῤῥήγνυντο*, cf. 45,15: *ἀπάγξονται πρότερον, ἢ* sq.]. Porro constat factionem illam tantum in civitate valuisse, ut impedirent, quominus pecuniae promissae solverentur et opera procederent, quin

---

40,12. 1. *ὅπως τ'* Selden, idem *ὅμως δ'*, quod etiam Casaub. r. *ὅπως* rel. 4. *φυγὴν. φυγεῖν* M.

etiam Dionem tali taedio afficerent, ut paene ultro in exsilium abierit [cf. 43,8].

40,13. 14. 6) *θαυμάζω δὲ μάλιστα ἐνίων ἀνθρώπων τὴν κακοήθειαν, μᾶλλον δὲ τὴν ἄνοιαν ὑπομιμνησκόμενος, οἷα ἐλογοποίουν τὸ μὲν πρῶτον περὶ τῆς πρεσβείας, ἣν ἐπέμψατε εὐχαριστοῦντες. οὐ γὰρ ἡδέως αὐτὸν ἀποδέξασθαι τοὺς πρέσβεις* .... 14. *οἱ δὲ ἐλογοποίουν, ὅτι* sq. v. supra pg. 5 sq.

‚Maxime vero nonnullorum hominum malignitatem, ut non dicam stultitiam miror recordatus, quae et antea de legatione dictitaverint, quam miseratis ad gratias agendas. Neque enim illum comiter legatos accepisse . . , . . . Neque deerant, qui dictitarent sq. [cf. pg. 5].

Quod exspectamus post verba *οἷα ἐλογοποίουν τὸ μὲν πρῶτον*, scil. *ἔπειτα δέ*, non sequitur, sed per anacoluthon pergit Dio: *οἱ δὲ ἐλογοποίουν*. Itaque non plane liquet, utrum de eisdem, an de duobus adversariorum generibus disputet. Sed certe diversa adversariorum iudicia perstringit. Deinde hoc quoque planum est novos hic induci adversarios. Illi enim, de quibus antea dixerat, aperte se Dioni opposuerant, hos arguit sive stulte sive maligne de certis rebus iudicasse, quas non accuratius explicat, sed obiter tantum notat. Nam primum erant, qui legationem quandam ad Caesarem, ut videtur, missam reprehenderent. Deinde, qui maiora, quam a Dione impetrata erant, exspectarent privilegia. Utrosque ab adversariis priore loco notatis, qui ornandae et augendae Prusae obstiterant, plane diversos esse manifestum est. Neque enim Dionem patriae consulere aegre tulerunt, sed ab auctoritate eius plura exspectabant agendique rationem improbabant, qua usus erat.

40,17, 18. 7) *ὅμως οὐ σφόδρα ἠπείχθην εὐλαβούμενος, μὴ γένηται τοῦτο ἐμποδὼν οὐκ ἐκείνοις, ἀλλὰ τῶν ἐντεῦθέν τισι. σχεδὸν γὰρ εἰώθασι πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οὐ τοῖς πραττομένοις, ἀλλὰ τοῖς πράττουσι φθονεῖν* ..... 18 . . . *ἀλλ' ὑφεωρώμην ἐγώ, μή τισι τῶν ἐντεῦθεν πρόσαντες γένηται καὶ δυσκόλως φέρωσιν ἐμοῦ πράττοντος αὐτά.*

Discimus ex his verbis, quanta cautio Dioni adhibenda

40,17. 1. *οὐ* r. ex interpr. *ὁ* rel. — *ἠπείχθην. ἠπίχθην* M.

fuerit in rebus publicis, qui dubitet rem civitati optatissimam sua auctoritate expedire adversariorum odium veritus. Nam cum Prusenses inimicitia illa cum Apamensibus inita graviter premerentur, tantum nonnullorum in Dionem fuisse odium comperimus, ut summa cum molestia Apamensium inimici permanere mallent, quam a Dione pacem restitui. Apertum autem est hoc loco non certum inimicorum genus respici, sed in universum dici de suspicionibus, quibus obnoxius fuerit Dio.

II. Ex oratione 41 unus est locus citandus:

41,2. *καίτοι ἐπίσταμαι σαφῶς οὐδὲ τοὺς ἐκεῖ πολίτας ἅπαντας ἀρέσαι δυνάμενος, ἀλλ' ἐνίους δι' αὐτὸ τοῦτο ἀχθομένους, ὅτι λίαν δοκῶ φιλόπολις καὶ πρόθυμος.*

‚Quamquam non ignoro me ne omnibus quidem civibus, qui ibi [Prusae] sunt, satisfacere posse, sed nonnullos propter eam ipsam rem indignari, quia nimis patriae amans atque strenuus videor esse.'

Hoc loco, quamquam novi quidquam non comperimus, tamen ea confirmantur, quae ex oratione 40 didicimus. Nimirum ne Apameae quidem de difficultatibus prorsus tacet Dio, quas Prusenses sibi adversarii pararent.

III. Dolendum esse, quod in oratione 43 Dio multa per ironiam in maius augeat iam supra demonstravi. Quo fit, ut ad nostram quoque quaestionem diiudicandam non tantum lucremur, quantum expectaremus ex oratione in senatu habita ad defendendos adversariorum impetus.

43, 1. 2. 1) *ἐγὼ δὲ οὐκ ἐπιθυμῶν πράγματα ἔχω δι' οὐδὲν ἕτερον ὑπὸ ἀνθρώπων ἀδυνάτων καὶ φθονερῶν, ἢ ὅτι δοκῶ στέργειν ὑμᾶς καὶ τὰ μὲν* [v. supra pg. 15] ...... 2. *καὶ τοῦτο εἶπον οὐκ ἀλαζονευόμενος ἄλλως* .... *ἀλλ' ἀμυνόμενος*

41,2. 2. *ἀχθομένους. ἀχθόμενος* B. M.

43, 1. 1. *ἔχω. ἔχων* M. 2, 3. *διαῤῥαγῶσιν διαλλαγῶσιν.* Valcken. annot. crit. ad N. T. pg. 377. — *ἀλλ' οὖν* Emp. *μᾶλλον* reliq. 4. *οἱ αὐτοὶ* Casaub. r. *αὐτοῖς* M. *αὐτοὶ* B. v. m. *οὗτοι* Reiske. — *ἐμὲ. ἐμέ τε* Reiske. — *ἔχουσι* B. M. Casaub. r. *ἕξουσι* v. m. 5. *ἐὰν. ἂν* M. — *θέλητε. θέληται* M.

τοὺς ἐμοὶ καὶ ὑμῖν βασκαίνοντας, ἵνα, ἐὰν μὲν δυνατὸν ᾖ, διαῤῥαγῶσιν· ὃ τῇ πόλει πάσῃ βέλτιστόν ἐστιν· εἰ δὲ μή, ἀλλ' οὖν ὀδυνηθῶσιν. ὅτι δὲ οἱ αὐτοὶ πρὸς ἐμὲ ἀηδῶς ἔχουσι καὶ πρὸς τὴν πόλιν, αὐτοὶ μάρτυρές ἐστε, ἐὰν θέλητε μεμνῆσθαι καὶ τῶν φιλούντων ὑμᾶς καὶ τῶν μισούντων. καίτοι ἐπιεικέστερον ἐμοὶ χρῶνται ἢ ὑμῖν. ἐμοῦ μὲν γὰρ ἐνθάδε κατηγοροῦσιν, ὑμῶν δὲ ἐπὶ τοῦ βήματος.

‚Ego vero invitus negotia habeo per homines infirmos atque invidos propter nihil aliud, quam quod vos amare videor .... Neque vero hoc iactationis causa dixi, ... sed ut eos reprimam, qui me calumniantur et vos, ut, si fieri poterit, dirumpantur, (quod toti civitati proderit), sin autem fieri non poterit, doleant. Eosdem autem illos mihi inimicos atque civitati esse ipsi testes estis ratione inita eorum, qui vos amant, atque eorum, qui vos oderunt. Quamquam humaniores in me se praebent, quam in vos, cum me hic accusent, vos in tribunali'.

Manifestum est Dionem hoc loco de eisdem adversariis verba facere, qui 40,8—12 notantur. Nam primum Dionem oderunt, utpote eum, qui Prusam augeat [cf. 41,2: *ὅτι λίαν δοκῶ φιλόπολις* — *ὅτι δοκῶ στέργειν τὴν πατρίδα*. Deinde conferre licet 43,1: *ἀδυνάτων καὶ φθονερῶν* cum 40,8: *οὐ παρὰ πολλῶν*, item 40, 11 *διεῤῥήγνυντο* cum 43, 2 *διαῤῥαγῶσιν*, ubi notes paullo auctam videri Dionis iram. Ut in oratione 40 exponit illos obesse urbis commodis et inimicos civium esse, ita hoc loco inimicissimos eos non sibi soli, sed patriae universae esse demonstrat et omni modo profligandos esse dicit, ut aut exstinguerentur [*διαῤῥαγῶσιν* ‚dirumpantur'], aut iram atque malignitatem dolore saltem expiarent. Itaque Dio in eandem factionem, de qua 40, 8—12 dixit, acerbius invehitur. Atque eo tempore, quod intercedit inter orationes 40 et 43, magis exarsisse has inimicitias alii quoque loci orationis 43 suadent, ut suspicemur. Primum enim 43, 4: *οἱ γὰρ προδόται καὶ συκοφάνται καὶ πάντα πράττοντες κατὰ τῶν πολιτῶν καὶ τότε ἦσαν ἐν ταῖς πόλεσι καὶ νῦν.*

43,4. 2. *κατά. καὶ τὰ* M.

‚Proditores enim et denuntiantes et ii, qui omni modo civibus nocent, et tunc in civitatibus erant, et nunc sunt.' vel proditores nominantur et comparantur cum sycophantis priorum temporum. Deinde iterum inspiciantur verba quae legimus § 2: *καίτοι ἐπιεικέστερον ἐμοὶ χρῶνται, ἢ ὑμῖν. ἐμοῦ μὲν γὰρ ἐνθάδε κατηγοροῦσιν, ὑμῶν δὲ ἐπὶ τοῦ βήματος.* Quae, quomodo intelligenda sint, non certum est. Opponuntur autem inter se accusationes, quae intenduntur *ἐνθάδε* et *ἐπὶ τοῦ βήματος.* Atque *ἐνθάδε* Reiskius coniecit idem esse atque *ἐν τῇ βουλῇ* neque dubium videtur mihi esse, quin oratio 43 in senatu habita sit. Conferas enim § 5: *ὁ δὲ δῆμος ὡς δῆμος ἠγνόει καὶ ἀνεπείθετο,* quae verba utpote populo infestiora in senatu dicta videntur esse. Accedit, quod Dio hac oratione homines adloquitur sibi amicos. Ubique autem senatus videtur a Dione stare [cf. or. 48, 49, 50]. Quaeritur nunc, quid sit *βῆμα,* quod Reiskius de *ἐκκλησίᾳ* intelligendum esse voluit. Cautius dicemus aliqua hac voce notari iudicia, quae non licet accuratius describere.

Hoc autem certo apparet ex his verbis adversarios illos non tantum publicis Dionis rationibus se opposuisse, sed etiam litibus contra privatos intentis contra eum pugnasse.

Neque aliter iudicandum est de loco:

43, 6. 7. 2) *εὖ δ' ἴστε, ὅτι ταῦτα ποιοῦσι καὶ λέγουσι βαρυνόμενοι τὴν ἐμὴν ἐπιδημίαν δι' ἄλλο μὲν οὐδέν· οὔτε γὰρ ἐνεδρεύω τινὰ τῶν πολιτῶν οὔτ' ἀργύριον λαμβάνω παρά τινος οὔτε δασμολογεῖν ἕτοιμός εἰμι τὴν χώραν τὴν ὑμετέραν οὔτ' ἐν τῇ ἀγορᾷ φαίνομαί τινι ὀχληρός· οὐ γάρ εἰμι ῥήτωρ· οὐδὲ εἶπον ὑπὲρ οὐδενὸς ἢ ἑνὸς ἀνθρώπου δυστυχοῦς ..... 7. ἄλλην δὲ οὐδεμίαν εἴρηκα δίκην, ὥστε δι' οὐδὲν οὐδενὶ βαρύς εἰμι· ἀλλ' ἵνα, ἐάν ποτε γένηται καιρὸς, οἷον εὔχονταί τινες, ὅμοιος τῶν πρότερον· οἷος οὐκ ἔσται· πλὴν εἰ γένοιτο, ἵνα μὴ παρῶ τῷ*

43, 6. 3. *ἐνεδρεύω. συνεδρεύω* M. 5. *οὐ. σου* M. 7. 2. *βαρύς. βαρεῖς* M. 3. *ὅμοιος* Selden. r. *ὅμως* [mrg. *ὁμοίως*] M. *ὁμοίως* B. v. m. — *τῶν. τῷ* Selden. 4. *οἷος. οἷς* B. — *παρῶ. παρὰ τῷ* M. 5. *οἱ* om. M., sed in rasura. 6. *συναλγοῦντα* B. M. mrg. m. *συναλίσαντα* rel., unde *συναλγήσοντα* Reiske. 7. *ἥπερ. ὥσπερ* B. M. – *εἰσὶν. εἰσὶν εὐνοοῦντες τῇ πόλει.* Reiske.

δήμῳ μηδὲ ἕξουσιν οἱ συκοφαντούμενοι τὸν παραιτούμενον ἢ συναλγοῦντα. καὶ διὰ τοῦτο δυσκόλως ἐμὲ φέρει τις ἐπιδημοῦντα. καὶ γὰρ εἰ πλείους ἦσαν, ἤπερ εἰσὶν, οὐδεὶς ἐμοῦ φήσει μᾶλλον.

,Scitis enim illos haec facere atque dicere, quia praesentiam meam aegre ferunt propter nihil aliud — neque enim civi cuiquam insidior, neque pecuniam a quoquam accipio, neque agrum vestrum tributis onerari volo, neque in foro cuiquam molestus videor, cum non sim orator, neque pro quoquam verba feci, nisi pro uno homine infelici..... neque vero aliam unquam orationem apud iudices habui, unde effectum est, ut nemini ulla de causa molestus fuerim — ea de causa me laedunt, ne — si quando in priores tumultus reciderimus, [quod Di avertant], populo patronus existam neve denuntiatis succurram. Sed enim, etsi plures essent, quam sunt, equidem non tacebo.'

Singularia facta nescimus, quae his verbis commemorantur, sed haec videmus: primum, cum Dio dicat *τινά* sibi inimicum esse [cf. supra *ἀδυνάτων* et 40,8], sed, etsi plures essent, se locuturum esse, concinit hoc et cum 43,1 et 40,8, quibus locis simili modo non magnum esse numerum adversariorum Dio iudicavit. Quodsi narrat se semel contra morem suum in iudicio infelicem quendam hominem contra iniurias illorum defendere coactum esse, illustratur eo, quod antea exposui, ab eisdem etiam contra privatos pugnari. Simul verbis *ὅμοιος τῶν πρότερον* indicat Dio priore tempore illorum insolentiam magis grassatam esse [cf. 40,11 et 48,4: *εἰς χεῖρας τυχὸν ἐλεύσεσθε, ὃ γέγονε πολλάκις πρότερον*, ubi videmus ad manus etiam factiones certantes saepe pervenisse].

Et hic utile erit ea commemorare, quae Plinius de factionibus narrat, quibus tunc plurimae Bithyniae civitates laboraverint, quam rem Dio quidem breviter tantum tangit [cf. 45,8: *μηδὲ καθ' ἑταιρείας πολιτεύεσθαι*]. Nam cum Plinius in epistula X, 42 (34) a Traiano petat, ut fabrorum collegium hominum 150 Nicomediae instituatur, addit: ,ego attendam, ne quis, nisi faber recipiatur, neve iure concesso in aliud utatur. Neque erit difficile custodire tam paucos.' Respondet vero Traianus: ,Sed meminerimus provin-

ciam istam et praecipue eas civitates ab eiusmodi factionibus esse vexatas. Quodcunque nomen ex quacumque causa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, hetaeriae quamvis breves, fient'. — Quae aliquo modo cohaerere cum difficultatibus, quibus Dio obnoxius erat, verisimile est. Neque casu videtur factum esse, quod fabrili illa officina diruta tantae contra eum turbae exstiterint.

Hoc vero loco memineritis velim, quae supra [pg. 34] exposui de extremis huius orationis paragraphis, habitam esse hanc orationem eo tempore, quo proconsul *συνοικισμὸν* instituere coeperit. Quae si vera sunt, causam tenemus, qua simultates adversariorum illorum auctae sunt.

IV. 45,6. 1) *καίτοι καὶ τοῦτο ἀκήκοα πολλῶν ἐγὼ λεγόντων, ὡς πρότερον* sq. v. supra pg. 11 ..... *πολλοὶ κατεγέλων τῆς πόλεως* .... *ὡς μειζόνων, ἢ καθ' αὐτὴν ἐφιεμένης* .... *καὶ ταῦτα λέγοντες οὐκ ᾐσχύνοντο διασύροντες τὴν αὐτῶν πατρίδα καὶ καθαιροῦντες ἐν τοῖς λόγοις οὕτως ἀνοήτως.*

Hunc locum iam supra illustratum, quamquam hic Dio de suis adversariis non loquitur, sed de inimicis patriae, refero tamen, quia haud dubie locis 40,10 et 40,11 respondet [cf.: *ὡς μειζόνων, ἢ καθ' αὐτὴν ἐφιεμένης* — 40,10: *καὶ βουλομένοις ἐν ἀσθενέσιν ἰσχύειν. ὡς πρότερον* .... *πολλοὶ κατεγέλων τῆς πόλεως* — 40,11: *ὅτι καὶ πρότερόν τινες ἀκούοντες διεῤῥήγνυντο*]. Confirmatur igitur in adversariorum Dionis numero eos quoque fuisse, qui *διοικήσει* instituendae obnitebantur.

2) De loco 45,14: *οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιστάμενός γε τὰς διανοίας τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων ἐνίων* sq. iam supra [pg. 24 sq.] pluribus egi, quo Dio dicit se non audere ad synoecismum perficiendum aggredi propter adversariorum animos infestos. Cf. etiam 40,17, ubi simili modo non audet Dio rem Prusensibus gratam perficere.

45,15. 3) *ἃ εἴ ποτε γένοιτο καιρὸς ἐπιτελεσθῆναι καὶ θεῶν τις ποιήσειε, τότε ὄψεσθε τὴν ὑπερβολὴν τῆς τινων ἔχθρας καὶ*

45,15. 2. *ποιήσειε. συμπονήσειε* Jacobs. — *ὄψεσθε. ὄψεσθαι* B. M. 3. *τοῦ πρὸς* Reiske. *τοῦτο πρὸς* rel. 5. *ἀπάγξονται, ἀπάξονται* M.

τοῦ πρὸς ἐμὲ μίσους· ἵνα μὴ λέγω τοῦ πρὸς ὑμᾶς· ὡς οὐκέτι ἀμφιβόλως οὐδὲ πρᾴως ἐροῦσι καὶ λοιδορήσονται, φανερῶς δὲ καὶ ἄντικρυς, κἂν μὴ κωλῦσαι δυνηθῶσιν, ἀπάγξονται πρότερον, ἢ τὴν πόλιν ἰδεῖν, οἵαν αὐτὴν βουλομένων θεῶν οὐκ ἀδύνατον γενέσθαι.

Haec verba ad synoecismum eo tempore nondum perfectum referenda esse iam supra [pg. 25] docui. Quam propter rem Dio se ab adversariis ambigue quidem et mansuete accusari dicit. Neque enim apertae inimicitiae causa inveniri poterat, cum Dio rei mentionem tantum faciens in orationibus certa quaedam non impetrasset. Verebatur vero, ne perfecto synoecismo propter illorum malignitatem gravissimas inimicitias palam suscepturus esset. Hoc quoque loco, ut in orationibus 40 et 43, adversarios suos patriae etiam inimicos esse contendit, quia nimirum augendae auctoritati patriae obstabant. Rectissime vero Dionem de adversariis iudicasse ex oratione 43 manifestum est, ex qua didicimus Dionem perfecto, ut videtur, synoecismo palam apud senatum accusatum esse.

Itaque hac quoque oratione ea confirmantur, quae ex superioribus elucent, cum 45,6 respondeat orationis 40 §§ 11 et 12, 45,15 vero orationis 43 extremis paragraphis illustretur.

V. Orationis 47 locos huc pertinentes plurimam partem iam de meritis Dionis disputans illustravi. Quare locos enumeranti pauca admodum mihi addenda erunt.

47,8. 1) *ἐγὼ γὰρ ἡψάμην πράγματος* sq. v. supra pg. 28. *Ἀηδίας*, de qua Dio queritur, praecipuam partem adversariorum inimicitias fuisse satis constat. Cf. 40,8 sq.

47,11. 2) *κἂν μόνον εἶχε* sq. v. supra pg. 28 et cf. 40,8.

47,12. 3) *πότερον καθελεῖν με* v. supra pg. 29.

47,16. 4) *καλῶς μέ τις ἀηδόνα ἔφη τῶν σοφιστῶν λοιδορῆσαι βουλόμενος· διὰ τοῦτο, ἐμοὶ δοκεῖν, ὅτι καὶ τὴν ἀηδόνα γλώσσαρόν φασιν οἱ ποιηταί.*

‚Facete quidam obiurgans dixit me sophistarum lusciniam esse, quoniam poetae lusciniam quoque, ut opinor,

---

47,16. 1. *καλῶς. ὅπου καλῶς* Reiske. — *τις. τεις M.* 3. *φασιν* om. M.

procacem nominant.'

Discimus igitur Dionem ab adversario quodam acerbitatem orationum indignato lusciniam sophistarum nominatum esse.

5) In §§ 16 et 17, quomodo Dio argumenta adversariorum refutet, iam supra [pg. 30 sq.] pluribus exposui, itemque

6) §§ 18 et 19 iam illustravi [pg. 32 sq.], ex quibus concluditur Dionem utrimque, ut ita dicam, pressum esse, cum hi operibus perficiendis resisterent [cf. 40,8 sq.], illi vero aegre ferrent, quod aedificanda opera non procederent propter pecunias a quibusdam retentas, quam rem Dioni crimini dabant.

47,23. 7) *πρὸς δὲ τὸν δεῖνα ἐξετάζεσθαι ἢ τὸν δεῖνα καὶ κακῶς ἀκούειν ἐνίοτε καὶ δάκνεσθαι.*

,neque cum hoc vel illo rem habere neque male audire interdum atque morderi.'

47,23. 8) *ὅταν δὲ ἀκούω λέγειν τινὰ ὡς περὶ τυράννου* ....

,Sin autem quemquam de me ut de tyranno verba facere audio.'

Hi quoque loci referendi sunt ad adversarios illos, qui Dioni propter opera exstructa succensebant [cf. § 18: *τυραννεῖν μέ φασιν*].

Variis igitur cum adversariis videmus Dionem eo potissimum temporis spatio, quod intercedit inter orationes 44 et 48 dimicasse. Neque nos latet, quaenam causae harum difficultatum, quibus summopere vexabatur, in universum videantur fuisse. Nam cum Bithyniae civitates factionum contentionibus vexarentur [Plin. ep. X,43 (35)], Prusae quoque iam ante Dionis reditum factio quaedam erat, quae augendae civitati obnitebatur, quin etiam gaudebat, quod conatus principis cuiusdam impetrandi *διοικήσεως* privilegii non successerat [40,10. 11. 45,6]. Quorum inimicitiam Dio

---

47,23. 1. *ἢ τὸν* B. M. *καὶ τὸν* rel.

in patriam reversus in se conferebat, cum in universum et propter longam absentiam [40,1] et propter privatam vitam [43,12] suspectus esset. Accedebat, quod ei quoque, qui ex Dionis cum Caesare amicitia emolumenta civitati redundatura esse speraverant, ei diffidebant [40,13. 14]. Imprimis autem pars civium aegre ferebat, quod operibus exstruendis operam dabat Dio [40,8. 10. 43,1. 2. 47,16—20].

Iam vero, si ad singula accedimus, prae ceteris factio quaedam se Dioni opposuit, quae eius ornandae urbis consilia improbabat et, cum fabrilem illam officinam, in qua monumenta quaedam videntur fuisse, diruisset, aperte contra eum surrexit impietatis eum accusans [40,8 sq. 47,11]; suspicari autem licet partes fuisse in hac re collegii illius fabrum, de quo cf. Plin. ep. X,43 (35). Veri autem simile est eosdem potissimum homines etiam singulorum vicorum in urbem transformationi infestos fuisse. Quae inimicitiae eo tempore, quo Dio, synoecismo ut operam darent, adhortabatur tantummodo cives, non ita graves videntur fuisse [45,14. 15], perfecto vero synoecismo in accusationes mutabantur [43,11]. Accedebant novae difficultates ex ipso aedificando. Nam cives, qui pecunias se daturos esse promiserant, promissas non solverunt, de qua re populum merito indignari Dio concedebat, quin etiam se provisurum esse promittebat, ut pecuniae, si opus esset, per vim exigerentur [47,18. 19]. Iam, postquam intelleximus, quae fuerint causae inimicitiarum, videamus, qualia inde crimina in Dionem lata sint et quale iudicium Dio de adversariis tulerit.

Miro quodam in Dionem atque consilia eius odio inflammati [40,11 : *διεῤῥήγνυντο*. 45,15 : *ἀπάγξονται πρότερον*] et se patriae atque deorum amicos esse simulantes [47,17] adversarii Dionem, quem propter dicendi facultatem non laudabant, sed illudebant [47,16], tyrannum nominabant [47,11. 18. 23], qui oppidum deleret [40,8. 47,11], cives expelleret [40,8. 43,11], impius in patriam atque deos esset [40,8. sq. 47,17. 43,11], quas accusationes ad studia Dionis in operibus exstruendis et synoecismo perficiendo pertinere addere non opus est. Quibus Dio respondebat adversarios proditores, sycophantas, hostes patriae nominans [43,1. 2. 4.

7. 45,15] atque contendens veram inimicitiarum causam esse, quod indignam patriam habere mallent, quam illustrem, ne ipsorum auctoritas minueretur [40,9. 10. cf. 45,6]. Ex quibus intellegitur armis quam infestis utrimque pugnatum sit neque mirum est Dionem consilium Prusae remanendi mutasse et de relinquenda urbe cogitasse. [De hac re cf. caput F]. Neque enim solum adversarii, quamquam paucos et infirmos eos fuisse Dio dicit [40,8. 43,7], effecerunt, ut Dio civibus suspectus fieret [40,17. 18. 41,2], amicos Dionis apud iudices, ipsum apud senatum accusabant [43,2], sed etiam impediebant, ne opera procederent [40,12].

Iam vero dixi inimicitiarum historiam hoc capite tractatam orationibus 44 et 48 quasi includi. In illa enim nondum de adversariis dicitur, in hac, quia plane tacentur, videntur profligati esse. Neque vero, ut certum est orationem 44 simultates illas secutas esse, item liquet eas finitas esse, cum Dio orationem 48 haberet, quia Dio aliqua causa, quam nos ignoramus, fortasse motus est, ut adversarios in ea neglegeret. Quod ut credamus, commendatur oratione 50, ubi obiter quidem tanguntur, sed tanguntur tamen: 50,10: *λόγος ἐῤῥύη τοιοῦτος, ὡς ἐμὲ ἐμποδὼν γενόμενον τῷ συνάγεσθαι βουλήν· ἐπεὶ καὶ τόδε ἤκουσα, ὡς πάντα ἁπλῶς νομίζουσι τὰ τῆς ἀρχῆς γίγνεσθαι κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην.*

D. De Dione inter Prusenses Apamensesque arbitro.

Dionis de patria merita enumerans unam quidem rem omisi, qua Dio haud dubie eximie de patria meritus sit, quam propria dissertatione dignam esse existimaverim. Agitur enim de discordia inter Prusenses Apamensesque orta, cui solvendae Dio et Prusae et Apameae operam dabat. Itaque iam videamus, quid de ea re constitui possit.

I. De Apamensium cum Prusensibus ante solutam concordiam commercio.

Apameam, coloniam Romanam, de cuius condicione atque privilegiis nihil habeo, quod ad ea addam, quae Marquardt, Schoenemann, Faber exposuerunt, et Prusam urbes fuisse usu atque commercio coniunctissimas ex orationibus liquet 40 et 41, neque mirum erit situm earum atque naturam reputantibus. Nam videmus Apameam Prusensibus proximum portum praebere, Apamenses autem ea, quae terra gignit, commodissime a Prusensibus accipere.

Quae Dio confirmat et loco iam supra [pg. 4] illustrato 40,33: *αὐτίκα πρέσβεις οἱ χειροτονηθέντες .... πόθεν ἀπίασιν; οὐκ ἐκεῖθεν;* et 30:

καὶ μὴν τά γε τῆς χώρας καὶ τὰ τῆς θαλάττης καὶ τὰ τῶν ὀρῶν ἐξ ἅπαντος ὑμᾶς εἰς τὸ αὐτὸ συνάγει καὶ μὴ βου-

---

40,30. 1. *θαλάττης. θαλάσσης* M. 2. *ὀρῶν* B. m. *ὁρῶν* M. *ὡρῶν* v. r. — *βουλομένους* B. M. r. *βουλομένοις* v. m. 3. *καὶ ἀναγκάζει* Emp. *καὶ* om. rel. — *ἀλλήλοις* B. m. r. *ἀλλήλους* v. m. 5. *οὔτε ἐκπέμψαι* M. *οὔτ' ἐκπέμψαι* rel. 6. *γιγνόμενα* M. *γινόμενα* rel.

λομένους καὶ ἀναγκάζει χρήσασθαι ἀλλήλοις. ἐκεῖνοί τε γὰρ δέονται τῆς παρ' ὑμῶν ὕλης καὶ ἑτέρων πολλῶν καὶ ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν οὔτε εἰσαγαγέσθαι δι' ἑτέρου λιμένος οὔτε ἐκπέμψαι τὰ γιγνόμενα παρ' ἡμῖν.

,Atque terra, mari, montibus omni modo eodem contrahimur inviti etiam et cogimur alteris utris uti. Illi enim lignis in silvis nostris caesis multisque aliis rebus egent, neque nos alium portum habemus, per quem merces importemus aut quae apud nos gignuntur, exportemus.'

Accedebant alia. Neque enim solum conubium erat inter Apamenses et Prusenses [40, 22: τοῖς πλείστοις ἐπιγαμίας ὑπαρχούσης. 41, 10: γάμοι κοινοί], sed institutiones quoque publicas quasdam communes habebant:

40, 28: ἐν δὲ ταῖς κοιναῖς πανηγύρεσι καὶ θεῶν ἑορταῖς καὶ θέαις, ὅσῳ κρεῖττον . . . .

,in communibus vero pompis, diebus festis deorum, spectaculis, quanto melius . . . .'

40, 29: αἱ δὲ ἐπιβοήσεις ἑκατέρου τοῦ πλήθους ἐν τοῖς σταδίοις καὶ τοῖς θεάτροις . . . .

,Atque acclamationes utriusque plebis spectantis in stadiis et theatris . . .'

41, 10: πρὸς οὓς ὑμῖν καὶ γάμοι κοινοὶ καὶ τέκνα καὶ πολιτεῖαι καὶ θυσίαι θεῶν καὶ πανηγύρεις καὶ θεάματα καὶ συμπαιδεύεσθε τοῖς καθ' ἕνα . . . .

,quibuscum conubia vobis et liberi et res publicae et res divinae et pompae et spectacula communia sunt et cum singulis erudimini . . . .'

Ex his locis discimus multas res, quae ad deorum cultum, spectacula, liberorum eruditionem pertinebant, Prusensibus et Apamensibus communes fuisse. Quod autem addit etiam in gerenda re publica aliquam fuisse eis communionem, illustratur id locis:

40, 22: τοῦτο δὲ πολιτῶν τινων, καὶ σχεδὸν τῶν δυνατωτάτων παρ' ἡμῖν, τῆς παρ' ἐκείνοις τιμῆς τετυχηκότων.

40,28. 2. θέαις. θεαῖς B. M.
41.10. 3. συμπαιδεύεσθε. συμπαιδεύεσθαι M. συνεπαιδεύεσθε Reiske.
40,22. 1. τινων. κοινῶν M. 2. ἡμῖν. ὑμῖν M.

‚et cum cives nonnulli nostri iique auctoritate florentes honore, quo illi fruebantur, participes facti sint.'

41, 10: *καὶ τοίνυν πλείους τῶν ἐκεῖθεν καὶ πολίτας πεποίησθε καὶ βουλῆς μετεδώκατε καὶ ἄρχοντας οὐκ ἀπηξιώσατε γενέσθαι παρ' ὑμῖν καὶ τῶν σεμνῶν τούτων, ἃ τῆς Ῥωμαίων ἐστὶ πόλεως, ἐκοινωνήσατε.*

‚Multos etiam illius civitatis cives et civitate vestra ornavistis et in senatum recepistis et ne ab archontum quidem dignitate eos exclusistis et augustarum illarum rerum quae urbis Romanae sunt, participes reddidistis.'

Quod civitate Apamensi Prusenses illustrissimi donabantur et in senatum recipiebantur, mirum non est, cum eiusmodi honores inter civitates Bithynicas commutari solerent [cf. 38, 1 (Nicomedia). 39, 1 (Nicaea)]. Quod vero Prusenses interdum Apameae summum magistratum obtinebant et privilegiorum quorundam [quae, utrum ad res publicas, an ad res divinas pertinuerint, in dubio relinquo], quibus Apamenses ut coloni Romani fruebantur, participes fiebant, indicat artiore quodam vinculo coniunctas fuisse civitates. Atqui Apamea ut colonia Romana suis legibus utebatur neque *διοικήσει* cuidam addicta erat [cf. 40, 22: *καὶ πολιτείαν ἐξαίρετον ἔχοντας*], Prusam vero paullo antequam Dio orationem 40 habuit [cf. 40, 33 *νῦν*] propriae *διοικήσει* praepositam antea finitumae cuidam civitati subditam fuisse constat. Quae illa fuerit, nescimus, sed videtur mihi erasse Faber, qui Nicaeam sive Nicomediam argumentis non allatis coniecerat. Contra ex locis supra commemoratis concluserim Prusenses administrationi antea addictos fuisse Apamensium, quos probabilius est ex civitate ipsorum administrationi subdita ad honores illos nobiliores elegisse cives. Et nunc intelligimus, qua de causa imperator Romanus avum Dionis Romana et simul Apamensi civitate condonaverit [41, 6]. Denique ex tanta et commercii et administrationis necessitudine, quam fuisse vidimus inter Apameam et Prusam causa repe-

---

41, 10. 1. *πολίτας. πολιτείας* B. M. [mrg. vulg.]. 2. *πεποίησθε* M. *πεποιήκατε* rel.

tenda videtur, cur post *διοίκησιν* Prusensem institutam et simultates subito exortae sint et molestissime fuerint civitatibus antea coniunctis. Sed in has res nunc accuratius inquirendum erit.

II. De causis discordiae.

Pauca sunt, quae de causis discordiae apertis verbis Dio dixerit. Continentur fere tribus his locis:

40, 23: *ὅπως αὐτοὶ εὐγνωμονέστεροι φανησόμεθα καὶ μᾶλλον καταφρονοῦντες χρημάτων καὶ τοῦ πλείονος.*

, ut benevolentiores nos praebeamus et magis despicientes pecuniam et avaritiam.'

40, 30: *ποῖον δ' ἂν τοσοῦτο γένοιτο χρημάτων πλῆθος ἢ χώρας μέγεθος, ἀνθ' οὗ προσήκει* ....

,Quae vero pecuniae aut agrorum copia tanta est, pro qua deceat ....'

41, 8: *φίλας ποιῆσαι τὰς πόλεις τῶν τε πρότερον ζητημάτων ἀπαλλάξας* ....

,si conciliare civitates possim sublatis prioribus controversiis ...'

Ex quibus id solum apparet ex duobus praecipue *ζητήμασι* [41, 8] inimicitiam ortam esse: ex pecuniis quibusdam et agro, quae et Apamenses et Prusenses sibi vindicabant.

Licebit autem ad illustrandos hos locos afferre alios. Neque enim fortuito opinor factum esse, quod Dio et [40, 14] civium quorundam avaritiam castigaverit, quippe qui pecuniis ex vectigalibus scilicet concessis non contenti essent, et [40, 33] monuerit Prusenses dioecesi concessa plurimos premi. Iam si recte iudicavi Prusenses ante impetrata *διοικήσεως* privilegia Apamensibus subditos fuisse, et fines et vectigalia Apamensium dioecesi Prusensi instituta valde deminuta esse manifestum est, neque mirum est, quod ea de causa Prusensibus succensebant. Quae haud scio an loco 41, 10 confir-

---

40, 23. 1. *αὐτοὶ* Emp. *αὐτοῖς* rel. — *φανησόμεθα. φανησώμεθα* B.
40, 30. 1. *τοσοῦτο* B. M. *τοσοῦτον* rel.
41, 8. 1. *πρότερον* M. *προτέρων* rel. — *ζητημάτων. ζηλωμάτων* Geel. *ἐγκλημάτων* Emperii censura libri Geeliani pg. 367 [Annal. Darmst. 1841].

mentur, quo Dio ab Apamensibus petit, ut se mites et magnanimos, neve inimicos aut superbos [*πρᾴους καὶ μεγαλόφρονας — μὴ χαλεποὺς μηδὲ ὑπερηφάνους*] erga Prusenses praeberent, hortans, ut opinor, ne Prusensium rebus secundis inviderent. Similiter ex 40, 14 concludi posse Prusenses aegre tulisse, quod Apamensibus vectigalia nonnulla retenta erant ab imperatore, iam supra [pg. 5. 6] conieci. Quod et ipse quidem Dio locis supra citatis [*μᾶλλον καταφρονοῦντες χρημάτων — ποῖον δ' ἂν τοσοῦτο γένοιτο χρημάτων πλῆθος*] videtur confirmare. Quamobrem equidem discordiam ex *διοικήσεως* Prusensis institutione ortam esse existimaverim, cum Apamenses provincia deminuta dolerent, Prusenses vectigalia quaedam, quae Apamensibus ab imperatore retenta erant, affectarent.

III. De Dione arbitro.

1. Quomodo factum sit, ut Dio arbitri munus susciperet.

Contentio igitur infestissima inter civitates exarserat, neque fieri potuit, quin impeditis commerciis [40, 28 sq.] et inveterascente inimicitia [41, 9: *καὶ ταῦτα ἐν πλείονι χρόνῳ τεθραμμένην*] utraque civitas summas molestias ex concordia dissoluta exciperet [40, 30. 31. 35]. Nihilominus Prusae pars civium contendens infirmitatis esse adversariis aliquid concedere [40, 23—25. 34], velis remis paci obnitebatur, neque Dio, quamquam Apameae honoribus oblatis [40, 16: *καίτοι ψήφισμά γε ἐπέμψαν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ φιλοφρονούμενοι καὶ παρακαλοῦντες ἀφικέσθαι, καὶ πολλὰ δίκαιά μοι πρὸς αὐτοὺς ὑπῆρχεν.* 41, 1: *καὶ ὑμεῖς εὐθὺς ἐμὲ ἀφικόμενον ἐτιμήσατε δημοσίᾳ ψηφίσματι πέμψαντες*] summam auctoritatem habebat, conciliandis civitatibus operam dabat, cum sibi proposuisset sese publicis negotiis omnino abstinere [40, 1]. Quin etiam tum, cum principes Apamenses auxilium eius adibant [40, 18: *ἐπεὶ καὶ πέρυσι τοὺς λόγους τούτους πρὸς ἐμὲ ἔλεγον οἱ προεστῶτες αὐτῶν καὶ τότε ἐξῆν ὑμῖν ἀπαλλάχθαι πραγμάτων*], recusavit veritus, ne civium suspicio impedimento fieret, quominus concordia restitueretur [40, 18]. Quamobrem Apamenses Dioni succensebant [40, 17: *ὅθεν ὑφεωρῶντό με καὶ δυσχερῶς εἶχον*], neque per totum annum [40, 16: *πέρυσι*]

quidquam proficiebatur. Sed paullatim Prusae quoque ira odiumque civium remiserat et actione de restituenda pace inita [40, 17: καὶ νῦν πυθόμενος τὰς διαλύσεις καὶ τὴν φιλίαν ταύτην πραττομένην] legatio Apameam missa videtur benigne excepta esse [hoc quidem concludo ex verbis

40,17: καίτοι καὶ νῦν ἴσως οὐ τοῖς παροῦσι μόνον, ἀλλὰ κἀμοὶ νέμοντες τιμήν, μετὰ τῶν ἄλλων λογιζόμενοι κἀμὲ πολίτην ὑμέτερον.

‚Et nunc quidem non iis solum, qui adsunt, sed mihi quoque honorem tribuentes, cum inter ceteros et mei, civis vestri, rationem habeant.'

Se quidem, qui quamquam invitatus Apameam nondum ivisset, Dio τοῖς παροῦσι opponit: ergo aderant vel adfuerant eo tempore Prusenses quidam Apameae honorati ab Apamensibus. Quos legatos fuisse veri non est dissimile. Inest autem in verbis τοῖς παροῦσι legationis significatio similiter atque 40, 25 in verbo ἀποδημεῖν]. Simul plebisscito Dio invitatus est, ut rebus publicis et praecipue reconciliandis civitatibus operam daret [40, 17: καὶ ψηφισαμένων ὑμῶν ἐμὲ καλεῖν ἴσως καὶ ταύτης ἕνεκα τῆς χρείας].

2. De industria, quam Dio ad dirimendam inimicitiam exhibuit

a. Prusae,

Quamquam rectissime iudicaverant Prusenses Dionem propter auctoritatem, qua Apameae fruebatur, eum esse, qui facillime amicitiam restitueret [40, 17: τυχὸν γὰρ ἠλπίζετε κἀμοῦ μετασχόντος ῥᾷον μᾶλλον καὶ ἀσφαλέστερον ἔσεσθαι πάντα], tamen ille pedetentim tantum ad rem accedebat [40, 17: οὐ σφόδρα ἠπείχθην. 40, 18: καὶ νῦν τρόπον τινὰ ἑκὼν ἐβράδυνα], cum veritus, ne sui Prusae adversarii conatus restituendae concordiae irritos facerent [40, 17. 18], rem ab aliis geri mallet [40, 18. 19]. Orationibus vero habitis identidem cives adhortatus est, ut cum Apamensibus paciscerentur [40, 16: καὶ πολλοὺς εἶπον ἐνθάδε λόγους ὑπὲρ ὁμονοίας, ἡγού-

40, 17. 1. καίτοι καὶ νῦν. καί τι καὶ νῦν Casaub. καὶ τοίνυν Pflugk. 2. κἀμοί. καὶ ἐμοὶ M.

μενος συμφέρειν τῇ πόλει τοῦτο καὶ κρεῖττον εἶναι μὴ διαφέρεσθαι πρὸς μηδένα ἀνθρώπων, ἥκιστα δὲ οἶμαι πρὸς τοὺς ἐγγὺς οὕτω καὶ ἀστυγείτονας]. In quarum orationum numero oratio quoque 40 referenda est habita in contione rite convocata [40, 20: καὶ νῦν ὑπὲρ τούτου ἐπαινῶ τόν τε ἄρχοντα καὶ τὸν εἰσηγησάμενον]. Fatetur quidem Dio exoptatissimum sibi fore, si aut alii rem agerent aut ipse communiter cum aliis rem agere posset [40, 18. 19], quin etiam sperat fore, ut non ipse legatus a civibus mitteretur [40, 25: ὅτι γάρ με οὐκ ἐνοχλήσετε sq.], sin autem cives invito officium delegarent, se obtemperaturum esse promittit [40, 18: ὅσα δ' οὐ ῥᾴδιον ὑπ' ἄλλου τῶν ἐντεῦθεν πραχθῆναι, τυχὸν δὲ καὶ λίαν χαλεπὸν, ἡγεῖσθε πρὸς ἐκείνοις ἀεί με τὴν γνώμην ἔχειν, μέχρις ἂν ἐμπνέω].

Prusenses autem concordiae restituendae studiosissimi Dioni munus, quod recusaverat, videntur commisisse, quippe quem orationem 41 apud Apamenses de concordia habuisse sciamus.

b. Apameae.

Apameae Dio privilegio, quo ab Apamensibus ornatus erat, usus in senatu de concordia cum Prusensibus restituenda orationem habuit praesentibus senatoribus et civibus auctoritate praeter ceteros florentibus [41, 1: ὦ βουλὴ καὶ τῶν ἄλλων οἱ παρόντες οἱ μετριώτατοι]. Cuius orationis §§ 7—8, quia res ibi exponuntur, quae orationi antecedebant, confirmantur, quae Dio in oratione 40 narraverat, nisi quod quas ipse egerit partes in hac urbium contentione, aliter descripsit in 41. atque in 40. oratione. Hoc quidem etiam Apameae dicit se Prusensibus auxilium poscentibus non statim respondisse licet haud ignarum auctoritatem suam magni momenti fore ad controversias componendas [41, 7: πολλάκις τῷ τιμᾶν προκαλουμένης — 40, 17: καὶ ψηφισαμένων ὑμῶν ἐμὲ καλεῖν ἴσως καὶ ταύτης ἕνεκα τῆς χρείας. 41, 7: οὐχ ὑπήκουσα πρὸς τοῦτο μόνον, οὐδὲν ἂν ὀκνήσας ἐκείνης ἕνεκεν ποιῆσαι, μηδενὸς ἔλαττον τυχὸν πρᾶξαι δυνάμενος, καὶ φίλων μοι ὄντων οὔτε ὀλίγων οὔτε ἀδυνάτων, ἵνα μηδὲν ἐπίφθονον εἴπω, μηδὲ ὃ λυπήσει τινάς, ἔτι δὲ οὐκ ὀκνῶν τὴν ὁδὸν, ὁπότε δεῖ με καὶ ἄλλως ἀπιέναι. — 40, 17: ὅμως οὐ σφόδρα

ἠπείχθην et: *τυχὸν γὰρ ἠλπίζετε κἀμοῦ μετασχόντος ῥᾷον μᾶλλον καὶ ἀσφαλέστερον ἔσεσθαι πάντα*]. Iam vero, cum in oratione 40 dixerat cunctandi causam fuisse Prusenses quosdam [40, 17: *εὐλαβούμενος, μὴ γένηται τοῦτο ἐμποδὼν οὐκ ἐκείνοις, ἀλλὰ τῶν ἐντεῦθέν τισι*], in oratione 41 exponit se Apamenses respexisse [41, 8: *ἀλλ' αἰδούμενος ὑμᾶς*]. Verba autem, quae 41, 8 addit: *καὶ νομίζων χρησιμώτερος ἔσεσθαι κἀκείνοις καὶ ὑμῖν, ἐὰν δύνωμαι φίλας ποιῆσαι τὰς πόλεις τῶν τε πρότερον ζητημάτων ἀπαλλάξας καὶ τὸ λοιπὸν εἰς εὔνοιαν καὶ ὁμόνοιαν προτρεψάμενος*, fatebimur paullo obscuriora esse. Cur enim cunctabatur Dio, si credidit se removendis controversiis et amicitia in posterum concilianda utrique urbi utilem fore?

Apertum videlicet est v e r a m causam contineri oratione 40. Impediebant Dionem adversarii Prusenses [de quibus cf. quae exposui pg. 42 sq.], quominus conciliandi officium subiret. Neque vero de domesticis illis difficultatibus apud Apamenses libere poterat exponere.

Orationes vero 40 et 41, quem eventum habuerint, non discimus, quamquam supicari licet haud frustra Dionem locutum esse. Nam siquidem oratio 48 aliquanto post orationes 40 et 41 habita est, quod ex sedatis eo tempore inimicitiis Dionis cum adversariis concluserim, eo tempore, quo Dio orationem 48 habuit, restituta erat concordia Prusensium cum Apamensibus, quia Dio negat cum ulla civitate Prusensibus inimicitias esse [48, 4: *νῦν γάρ, ἐὰν διενεχθῆτε πρός τινα πόλιν· ὃ μηδεὶς ποιήσειε θεῶν*].

E. De iis, qui in orationibus Bithynicis 'ΗΓΕΜΟΝΕΣ nominantur.

I. Conducet breviter hic eos locos componere, quibus *ἡγεμών* sive *ἡγεμόνες* vocula in orationibus Bithynicis occurrit. Atque exspectamus *ἡγεμόνα* esse proconsulem Romanum. Notum enim est hanc vocem usurpasse Graecos de Romanis magistratibus provincias administrantibus [cf. Dio Cass. 53, 12 sq. Schoenemann 17, 4]. Quod confirmatur loco

48, 1. 1) *τῷ κρατίστῳ Οὐαρήνῳ δεῖ χάριν ἡμᾶς εἰδέναι .... οὔτε τεταραγμένον δῆμον εἰς ταὐτὸ συνάγει νοῦς ἔχων ἡγεμών.*

,Vareno optimo gratiam nos habere decet .... neque populum perturbatum princeps, si prudentem se praestat, cogit.'

Hoc loco aperte Varenus proconsul [de hoc et ceteris, qui Bithyniae provinciae praefuerunt, Schoenemann egit. Utrum Faber recte concluserit in impetrandis *διοικήσεως* privilegiis praecipuas partes fuisse Vareni (48, 1: *καὶ διὰ τὴν ἄλλην προθυμίαν, ἣν ἐπιδέδεικται πρὸς τὴν πόλιν,* cf. 45,4. 5), necne, nolo discernere] arbiter advocatus a civibus nonnullis [2. 3], qui senatores quosdam accusaverant, quod pecunias publicas retinerent [3. 9. 10], a Dione *ἡγεμών* nominatur.

48, 15. 2) *ἀλλ' ἴσως μακρολογῶ δέον βαδίζειν καὶ παρακαλεῖν τὸν ἡγεμόνα.*

48, 1, 1. *Οὐαρήνῳ* B. M. *Οὐαρίνῳ* rel.
48, 15. 1. *ἀλλ'* M. *ἀλλὰ* rel. — *μακρολογῶ. μακρῷ λόγῳ* M.

‚At plura fortasse loquor, quam par est, cum necesse sit abire me principem arcessitum.'

Conferas, quae de proconsulis auctoritate supra [pg. 17] exposuerim, ad quae, si addis § 2: *κἂν δεῦρο ἀφίκηται παρακληθείς* et § 3: *καὶ γὰρ δὴ* sq. apparet adesse proconsulem in urbe eo consilio, ut, nisi cives litem composuerint, proximis diebus ipse interveniat. Videtur igitur Dio talem quoque proconsulis adventum adnuntiasse verbis 47, 19: *καὶ παρακαλεῖν τὸν ἀνθύπατον*.

Pertinent huc etiam loci 43, 11. 45, 15. 49, 2:

43, 11. 3) *ἀναπείσας δὲ ἡ γ ε μ ό ν α πονηρὸν* sq. De hoc loco iam supra [pg. 33 sq.] egi. *Ἡγεμών* proconsul quidam videtur fuisse, cuius auxilio Dionem synoecismum aliqua ex parte perfecisse suspicor. Certa vero de ea re erui nequeunt, quia Dio plurima hoc loco per ironiam dicit. Quod proconsulem illum, malum' nominat, haud dubie adversariorum de illo iudiciis illudit, neque id quod Faber putat, proconsulem, quod durum iniustumque in Prusenses se praebuisset, vituperat. Neque, ut Faber, ex hoc loco plura concludere volo.

45, 15. 4) *τότε δ'οὖν τοῦ ἡ γ ε μ ό ν ο ς δεξαμένου τὸ πρᾶγμα* sq. Hunc locum congruere cum loco 40, 5–6 iam exposui [pg. 26]. At cum in oratione 40 de pluribus *ἡγεμόσι* narretur, hic de unius potissimum studio verba facit Dio. Neque potest dubium esse, quin *ὁ ἡγεμών* proconsul provinciae Bithyniae praepositus sit [cf. 48, 1, cum quo loco hic locus in ea quoque re congruit, quod et hic et illic contionis proconsule auctore convocatae mentio fit].

5) Locum 49, 2: *ὥστε κακῷ μὲν ἡ γ ε μ ό ν ι* sq. ex argumentatione secludo, quia manifestum est voculam *ἡγεμόνι* principali significatione adhiberi de eo, qui populum d u c i t, cum praecedat exemplum illud equitis, qui equum moderatur.

II. Saepius plurali numero haec vox occurrit. Iam vero si *ἡγεμών* est proconsul, *ἡγεμόνες* proclive est esse proconsules. Atqui unus est proconsul Bithyniae. Quare si *ἡγεμόνες* respiciuntur, non de certis hominibus cogitandum erit, sed de ipso magistratu, utpote quo varii deinceps funguntur homines. Quae interpretatio admittitur fortasse:

48,7. 1) [*ἐν τῷ διαφέρεσθαί ἐστι*] *τὸ μηδὲν ἰσχύειν μήτε παρ' ἑαυτοῖς, μήτε παρὰ τοῖς ἡγεμόσιν.*

‚[in discordia positum est] nihil valere aut apud ipsos aut apud principes.'

In universum haec dicta sunt de conditione subditarum civitatum, quae id debeant studere, ut non solum domi, sed potissimum apud magistratus Romanos aliquid valeant.

38,33. 2) *πειρᾶσθε δε καὶ τοῖς ἡγεμόσιν αἰδῶ παρέχειν ἀεὶ τοῦτο φανερὸν καθίσταντες, ὅτι μὴ ἀπόχρη ὑμῖν καλῶς διοικεῖσθαι μόνοις, ἀλλὰ παντὸς ἐπιμελεῖσθε τοῦ τῶν Βιθυνῶν γένους.*

‚Provideatis vero, ut principes quoque pluris vos aestiment illud semper omnibus demonstrantes non vobis sufficere bona vos solos administratione uti, sed toti Bithynorum genti consulatis.'

3) Loco quoque 40, 10: *καὶ πλέονος τυγχάνειν τιμῆς καὶ παρὰ τῶν ἐπιδημούντων ξένων καὶ παρὰ τῶν ἡγεμόνων* iam supra [pg. 3] illustrato de magistratibus Romanis Dio loquitur, qui civitates provinciae visebant.

40,22. 4) *ἔχοντας καὶ παρὰ τοῖς ἡγεμόσι τιμήν τινα καὶ δύναμιν.*

‚habentes et apud principes honorem quendam et auctoritatem.'

III. Minus autem placet illa interpretatio 38, 34 et 36, ubi certi *ἡγεμόνες* videntur vituperari:

38,34. 1) *καὶ τοῖς ἡγεμόσι γενήσεται πλείων διατροπὴ πρὸς ὑμᾶς καὶ φόβος, ἐὰν ἀδικεῖν θέλωσιν.*

38,36. 2) *τὰ δὲ τῶν ἡγεμόνων νῦν μὲν ὅπως ἔχει, τί δεῖ πρὸς ἐπισταμένους λέγειν; ἦ γὰρ οὐκ ἐπαισθάνεσθε τῆς τυραννίδος, ἣν ἡ στάσις ἡ ὑμετέρα δίδωσι τοῖς ἄρχουσιν ὑμῶν;*

48,7. 1. *τὸ μηδὲν. τὸν μηδὲν* M. 2. *παρ' ἑαυτοῖς μήτε παρὰ τοῖς* Emp. *παρ' ἑαυτοῖς* M. *παρὰ τοῖς* rel. Reiske post *ἡγεμόσιν* addit *μήτε παρὰ τοῖς ἀστυγείτοσιν* vel *μήτε παρὰ τῷ βασιλεῖ.*

38,33. 3. *ἀλλά. ἀλλὰ καὶ* r. ex Interpr. — *ἐπιμελεῖσθε* r. *ἐπιμελεῖσθαι* rel.

38,36. 2. *ἦ γὰρ* Emp. *ἡ γὰρ* M. *ἢ γὰρ* rel. — *ἐπαισθάνεσθε. ἐπαισθάνεσθαι* M.

IV. Denique omnino non est ferenda

1) in orationis 40 §§ 5 et 6, quas iam supra [pg. 20 sq.] de Dionis meritis agens exscripsi, ubi bis *ἡγεμόνων* mentio fit [*οὐκ αὐτὸς μόνον, ἀλλὰ τῶν ἡ γ ε μ ό ν ω ν ἐσπουδακότων — πολλάκις μὲν ὑφ' ὑμῶν ἐκνρώθη, πολλάκις δὲ ὑπὸ τῶν ἡγεμόνων*]. Dicit Dio in opere exstruendo se *ἡγεμόνων* auxilio usum esse, unde manifestum est potestatem quandam illos Prusae habuisse et de rebus urbanis constituisse [*πολλάκις ἐ κ ν ρ ώ θ η*]. Atqui Prusenses illi *ἡγεμόνες* non erant, cum a Dione civibus Prusensibus opponantur [*τῶν ἡγεμόνων ἐσπουδακότων ἴσως μὲν ὑ μ ῖ ν, ἴσως δὲ κἀμοὶ χαρίζεσθαι βουλομένων* et magis etiam: *πολλάκις μὲν ὑφ' ὑ μ ῶ ν ἐκνρώθη, πολλάκις δὲ ὑπὸ τῶν ἡγεμόνων*], neque Bithynici quidam magistratus intelligendi sunt [cf. 38, 26: *ἁρμοστάς*], quia Prusam eo tempore, quo Dio orationem 40 habuit, propriae *διοικήσει* praepositam a nulla Bithynica civitate pependisse didicimus [pg. 4 sq.]. Item non de uno proconsule loquitur Dio. Itaque restat tantum, ut de diversis Romanis magistratibus provincialibus cogitemus [proconsule, eius legato, quaestore, procuratoribus, cf. Marquardt l. l. pg. 351 sq.]. Nam Prusae, etsi propria administratione civitas fruebatur, magistratuum Romanorum arbitrio tamen multa permissa fuisse satis constat [cf. 48, 1].

40, 9. 2) *ἐφ' οἷς ὑμεῖς μὲν ἠρυθριᾶτε καὶ διετρέπεσθε τῶν ἡ γ ε μ ό ν ω ν εἰσιόντων.*

‚in quibus erubescebatis et pudebat vos, si principes aedificium intrabant.'

Hoc quoque loco, qui in illis legitur, quibus Dio fabrilis illius officinae dirutae deformitatem describit, *ἡγεμόνες* sunt magistratus Romani, quorum provinciae erat aedificiorum publicorum conditionem inspicere [cf. Plin. ep. X,75 (71)]. — Idem valet de

45, 4—6. 3) de quo loco iam pluribus disputavi [pg. 10 sq.]. Ter nominantur hic *ἡγεμόνες:* 4. *τοῖς ὑποσχομένοις μόνον*

40, 9. 1. *ἠρυθριᾶτε καὶ διετρέπεσθε* Emp. *ἠρυθριᾶτε διετρέπεσθαι* B. M. *ἐρυθριᾶτε καὶ διετρέπεσθε* r. *ἐρυθριᾶτε διετρέπεσθε* v. m.

τῶν ἡ γ ε μ ό ν ω ν. 5. *οὐ μὴν ὁμοίως ἐλύπει τὸ τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα τῶν ἡ γ ε μ ό ν ω ν εἶναι τὸν ποιήσαντα καὶ παρασχόντα.* 6. *ἀντιγράψαντος περὶ τῆς διοικήσεως τῶν ἡ γ ε μ ό ν ω ν τινὸς* [falsas esse Emperii mutationes necesse non est referre]. His quoque locis magistratus Romanos significari manifestum est et quia opponuntur *ἡγεμόνες* et *ἰδιῶται* et propter verba *ἀντιγράψαντος περὶ τῆς διοικήσεως* [scil. *τῷ αὐτοκράτορι*]. De quibus magistratibus iudicium severum, neque plane studio et ira vacuum a Dione ferri iam exposui.

4) Nunc adpono 45, 8, de quo loco iam supra [pg. 13] exposui: *καταμηνῦσαι τὸ γιγνόμενον καὶ παρ' εἰδόσιν ὑμῖν καὶ τοῖς ἡ γ ε μ ό σ ι ν· εἰ δὲ μήτε ὑμεῖς προσείχετε, μήτε τῶν ἡ γ ε μ ό ν ω ν τό πρᾶγμα ἥπτετο, οὐ χαλεπὸν ἦν ἐπιστεῖλαι τῷ αὐτοκράτορι.* Tribus igitur locis de rebus publicis Prusensibus iudicari discimus: apud cives ipsos, apud *ἡγεμόνας*, apud imperatorem. Neque enim *ἡγεμόνας* Prusenses esse magistratus demonstratur verbis *καὶ παρ' ε ἰ δ ό σ ι ν ὑμῖν καὶ τοῖς ἡγεμόσιν*, ubi ad *ὑμῖν* adposito participio *εἰδόσιν* aperte a Prusensibus distinguuntur. Discimus igitur ex hoc loco *ἡγεμόνας* esse magistratus Romanos, quibus Prusae haud parva potestas erat, cum civitatis decreta irrita facere iis liceret.

V. Restat unus locus, ubi *ἡγεμόνες* non Romani citantur:

48, 13: *ὥστε μὴ ἀρκεῖσθαι τοῖς αὐτῶν ἡ γ ε μ ό σ ι ν, ἀλλ' ὥσπερ ἐν τοῖς ἀνιάτοις νοσήμασι δέονται ξένων ἰατρῶν;*

‚ut iam non ipsorum principes sufficiant, sed ut in morbis insanabilibus alienos medicos adhiberi necesse sit?'

Uno hoc loco magistratus u r b a n i vocula *ἡγεμόνες* significantur. Neque vero de Prusa dicit Dio, sed locum communem hic explicat de urbe tumultuante, quam cum homine graviter aegrotante comparat atque exponit tali urbi d u c e m alienum arcessendum esse. Cur hac voce utatur Dio, dubium est, sed cave credas P r u s e n s e s magistratus ita nominatos esse.

48, 13. 1. *αὐτῶν* Emp. *αὐτῶν* rel. — *ἡγεμόσιν. ἡγεμῶσιν* M. 2. *δέονται. δέωνται* M.

VI. Denique adnoto verba 44, 12: *ὅ παρὰ τῶν κρατούντων καὶ δυναμένων γίγνεται* de imperatoribus dicta esse. Neque igitur Dio de imperatoribus Romanis, quippe qui civitatibus libertatem concederent, verba faciens vocula *ἡγεμών*, sed *κρατῶν* et *δυνάμενος* utitur.

Vario autem modo de magistratibus illis iudicasse Dionem videmus. Quos comprobat et videtur revereri 40, 5. 6. 45, 8. 15. [47, 19]. 48, 1. 15, suspicatur et improbat in oratione 38 et 45, 4—6. Invenitur vel *ταπεινός* adiectivum *ἡγεμόσι* adtributum [45, 5]. Sed haec vox num recte tradita sit, summopere dubito; neque enim, etsi duces illos improbat, Dionem tanto contemptu de magistratibus Romanis loqui posse existimaverim, quos ipse fatetur reipublicae causa se *θεραπεύειν* [47, 21]. Quare coniecturae *ταπεινῶς* ut adstipuler re ipsa moveor. Despicit igitur Dio eos, qui illos magistratus turpissime adulati erant.

F. De Dionis Prusae ΕΠΙΔΗΜΙΑι.

Breviter hic comprehendam, quae de temporis spatio, per quod Dio post exsilium Prusae sive commoratus sit sive commorari voluerit, ex his orationibus discimus.

Quo adducor eis, quae apud Schoenemannum pg. 84 legimus, qui Prusenses dicit regnante Traiano Dionem, virum patriae amantissimum, in exsilium egisse, qua de re nos delegat ad locos II pg. 192. 208. 212. ed. Reiske. Neque vero 192 aut 208 hoc narrari quidem video et pg. 212 in oratione legitur 46, quae si Dionis est, certe alio prorsus tempore conscripta est. Neque magis probo, quod Breiting contendit pg. 18 Dionem post orationem 50 habitam reliquisse Prusam et postea revocatum orationem habuisse 40 [et 41?].

Examinabo igitur eos locos, quibus Dio de consiliis sive manendi Prusae sive relinquendi urbem disputaverit. Omitto autem eos locos, quibus de itineribus loquatur, quae diversis de causis in finituma oppida ad res publicas agendas instituit aut erat instituturus, ut Nicomediam [38,4. 6] et Apameam [40,25]. Neque disputabo de 45,10, ubi dicit se electionum tempore Prusam per paucos dies reliquisse.

I. 40,1. 1) *Ἐνόμιζον μὲν ..... νῦν γοῦν, εἰ καὶ μὴ πρότερον, ἄξειν τὴν ἅπασαν ἡσυχίαν δεῦρο ἀ φ ι κ ό μ ε ν ο ς.*

‚Putabam .... hoc quidem tempore, si non antea, fore, ut, cum huc pervenissem, prorsus otio fruerer'.

Non est dubium, quin Dio verbis **δεῦρο ἀφικόμενος** de suo post exsilium in patriam reditu loquatur [ad illud enim

---

40,1. 1. μὲν M. om. rel. 2. ἄξειν. ἕξειν B.

in sequentibus apertissime respicit, cf. 2: *τοσοῦτον χρόνον πλανηθεὶς οὐ μόνον ἄοικος καὶ ἀνέστιος, ἀλλὰ μηδὲ ἀκόλουθον ἕνα γοῦν ἐπαγόμενος*]. Itaque reversus in patriam molestiisque, quas Domitiani saevitia tulerat, fessus sibi proposuerat quietem agere neque de altera peregrinatione cogitabat. Itaque plane mirifica est sententia Breitingii, qui hanc orationem contendit post alterum, quod fingit, exsilium a Prusensibus Dioni impositum habitam esse.

40,12. 2) *οὕτως ἐμὲ διέθηκαν, ὥστε ὀλίγου φυγὴν ἐμαυτοῦ καταψηφίσασθαι.*

‚eo me perduxerunt, ut paene ultro mihi exsilium iniunxerim'.

Adversarios operibus obnitentes neque quemquam impendere patientes sibi tam molestos fuisse Dio dicit, ut taedio captus paene ultro ex patria abierit. Summi momenti est vocula *ὀλίγου*, ex qua concluditur re vera Dionem patria n o n cessisse, sed ab adversariis vexatum cogitasse tantum aliquamdiu de nova peregrinatione. Quod confirmatur iis, quae sequuntur:

40,12. 3) *καὶ γὰρ ἦν γελοῖον μετὰ φυγὴν οὕτω μακρὰν καὶ πράγματα τοσαῦτα καὶ τύραννον ἐχθρὸν δεῦρο ἀφικόμενον, ὥστε ἀναπαύσασθαι καὶ τὸ λοιπὸν ἐπιλαθέσθαι τῶν πρότερον χαλεπῶν ..... ὥσπερ ἐν λιμένι ναυαγεῖν.*

‚Nam ridiculum fuit, si post exsilium tam longum, tantas molestias, tyrannum inimicissimum huc reversus, ut requiescerem et rerum adversarum, quas antea perpessus eram, oblivíscerer ..... in portu quasi naufragium fecissem.'

Ergo Dio se ex exsilio Prusam reversum per vitae tempus [*τὸ λοιπὸν*] Prusae quietem acturum esse speraverat, et queritur, quod consilium illud permanendi in patria adversariorum malitia paene irritum factum esset.

Comparatis vero his orationis 40 locis elucet Dionem ex exsilio reversum usque ad id tempus, quo orationem 40

40,12. 2) 1. *φυγὴν. φυγεῖν* M.

40,12. 3) 1. *γελοῖον. σχέτλιον* Reiske. — *μετὰ.ἐμὲ μετὰ* Reiske. — *οὕτω* Emp. *οὕτως* rel. 2. *ἀφικόμενον* Reiske. *ἀφικομένῳ* rel. 3. *πρότερον* M. *προτέρων* rel. 4. *ναυαγεῖν.* M. Casaub. *ναυμαχεῖν* rel.

habuit, patria non cessisse neque sibi proposuisse iterum peregrinari. Quibuscum congruit orationis 44, primae illius orationis Bithynicae, locus:

II. 44,6: *πολλῶν γὰρ πολλαχῇ παρακαλούντων με καὶ μένειν καὶ προίστασθαι τῶν κοινῶν, οὐ νῦν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρότερον, ὅτε ἤμην φυγάς .... οὐδὲ πώποτε ἄχρι λόγου τὸ τοιοῦτον ὑπεσχόμην, ἀλλ' οὐδ' οἰκίον ἢ χωρίον ἐκτησάμην παρ' ἑτέροις, ὡς μηδὲν ᾖ μοι σημεῖον ἀλλαχοῦ πατρίδος.*

,Nam cum multi me multis locis invitarent, ut manerem et rebus publicis praeessem, non nunc solum, sed antea quoque, cum exsul eram ... nunquam verbis talia promisi, quin etiam ne domum quidem aut agrum mihi apud alios paravi, ne ulla re demonstrarem mihi alibi patriam esse.'

Prusam igitur Dio suam patriam esse dicit, prae qua omnes aliarum civitatum honores spernat. Neque vero eum ita locuturum fuisse, si sibi proposuisset brevi post patriam relinquere, manifestum est, et scimus Dionem Apamensibus summis honoribus eum invitantibus non obsecutum esse. At postea consilium mutasse Dionem ex orationum, ad quas nunc accedimus, locis quibusdam intelligitur.

III. 43, 6. 1) *βαρυνόμενοι τὴν ἐμὴν ἐπιδημίαν.*

,praesentiam meam moleste ferentes.'

43, 7. 2) *καὶ διὰ τοῦτο δυσκόλως ἐμὲ φέρει τις ἐπιδημοῦντα.*

,quamobrem hic vel ille aegre fert, quod hic versor.'

43, 8. 3) *καὶ νῦν δεῖ με ἀποδημεῖν, οὐχ ὡς πρότερον ἀλύπως πάντων με ἀγαπώντων καὶ θαυμαζόντων, ἀλλὰ μετ' ἔχθρας τινῶν.*

,et nunc me peregrinari necesse est neque ut priore illo tempore cura et angore vacuum omnibus me amantibus atque admirantibus, sed inimicitia quorundam comitatum.'

44,6. 2. *οὐ νῦν* **B. M. F. r. ex interpr.** *νῦν* **om. v. m. 3.** *πώποτε. πώποτε πλὴν* **vel** *πώποτε εἰ μὴ* **Reiske. 5.** *ἀλλαχοῦ πατρίδος. πατρίδος ἀλλαχοῦ* **F.**
43,8. 1. *ἀποδημεῖν. ἀποδιμεῖν* **M. 2.** *μετ'. μετὰ* **M.**

Hic primum, cum se iterum peregrinaturum esse [ἀποδημεῖν] dicat, suam Prusae praesentiam verbis ἐπιδημία et ἐπιδημεῖν significat, qua voce [finitur enim ἀποδημίᾳ ἐπιδημία] docemur eum per aliquod tantummodo tempus Prusae velle commorari. Quod autem dicit se iam priore tempore ex patria excessisse amore atque admiratione omnium civium fruentem, reminiscitur certe eius temporis quo olim, ut Romam peteret, patriam reliquerat nescius nimirum fore, ut haec ἀποδημία vertatur in φυγήν. Mutavit igitur consilium in patria remanendi, quo in orationibus 40 et 44 uti videbatur, in oratione 43, neque in sequentibus orationibus omnibus ab hac ratione discessit.

IV. 45, 1. *βούλομαι ὑμῖν ἀποδοῦναι λόγον τῆς ἐπιδημίας ταύτης, ἐπειδὴ καὶ βραχὺν οἴομαι τὸν λοιπὸν ἔσεσθαί μοι χρόνον. τὴν μὲν γὰρ φυγὴν* . . .

‚rationem vobis reddere volo praesentiae huius meae, quoniam breve fore tempus existimo, quod mihi restat. Exsilium enim . . .'

Opponuntur hic ἐπιδημία et φυγή. Unde colligitur orationem habitam esse a Dione, cum reversus ex exsilio aliquamdiu Prusae moratus esset [cf. ἐπιδημίας ταύτης]. Quam ἐπιδημίαν brevem fore dicit Dio, quia breve ei tempus restaret. Duplicem quidem haec verba [ἐπειδὴ sq.] interpretationem admittunt, cum aut ita intelligi possint, ut Dio mala valetudine laborans [cf. 45, 2. 40, 2. 47, 23] vereri se dicat, ne vitae finis appropinquaret [cf. 40, 19: γηρῶν], aut ita, ut de altera peregrinatione cogitemus. Neque vero potest dubium esse, quin hanc loci interpretationem praeferamus collato 43, 8 et

45, 14. 2) *καὶ τὸν χρόνον τῆς ἐπιδημίας, ὅτι μοι βραχύς ἐστι παντελῶς.*

‚et praesentiae meae tempus, quoniam admodum breve est.'

Manifestum est Dionem hoc quidem loco non de morte loqui. Itaque tenendum est Dionem eo tempore, quo orationem 45 habuit, sibi proposuisse iterum peregrinari.

45, 1. 2. τόν. τὸ M.

45. 14. 1. μοι. B. M. Casaub. r. μὴ v. m.

V. 47,6. 1) τί οὖν; πάλαι τις ἤδη κάθηται λέγων· σὺ πρὸς Ὅμηρον καὶ Πυθαγόραν καὶ Ζήνωνα παραβάλλεις αὑτόν; μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε· πλὴν ὅτι πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἔδοξε χαλεπὸς ἐν τῇ πατρίδι ὁ βίος.

‚Quid? Iam diu sedet quispiam dicturus: Tu te cum Homero et Pythagora et Zenone comparare audes? Minime equidem, nisi quod omnibus philosophis molestissimum videbatur vitam in patria degere.'

Manifestum est l a t e r e in his verbis consilium Dionis peregrinandi iterum, cum dicat id sibi cum omnibus philosophis commune esse, quod molestissimum esse existimaret in patria vitam degere. [Cum hoc loco ex re esse crediderim comparare orationem 44 non multo post Dionis ex exsilio reditum habitam, ubi legis § 1: τῷ γὰρ ὄντι πολλὰ σοφὰ καὶ θεῖα εἰρηκὼς Ὅμηρος οὐδὲν σοφώτερον ἔφη τούτου τοῦ ἔπους οὐδὲ ἀληθέστερον ‚ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος.' Unde intelligitur Dio suum de patria civibusque iudicium, quantopere mutaverit.] — Confirmantur vero, quae de hoc loco exposui, verbis:

47,20. 2) εἰ δὲ μή, τὴν ἡσυχίαν ἕξω βοώντων ὑμῶν, μᾶλλον δὲ ἄ π ε ι μ ι.

‚Quod si non feceritis, quietem agam vociferantibus vobis, vel potius abibo.'

M i n a t u r hoc loco Dio se abiturum esse, nisi cives ipsi parcerent.

47,22. 3) εἰ δὲ ἄρα ἀ π ο δ η μ ῶ ν ἥδομαι, τὰς μεγίστας πόλεις ἐπιέναι . . . .

‚Sin autem peregrinando delector, maximas urbes adire . . .'

Dio commoda et voluptates enumerans, quibus se prae molestiis illis, quibus Prusae opprimebatur, frui liceret, dicit, si peregrinando gauderet, nihil impedire, quominus summo cum honore receptus maximas et clarissimas urbes adiret. Quae verba ex consilio illo peregrinandi iterum profluxisse veri non est dissimile.

47,6. 3. αὐτόν. αὑτὸν M.
47,20. 2. ἄπειμι. εἶποιμι B.

VI. 48,6. *τί γὰρ ἂν εἴη τῆς ἡμετέρας ἐπιδημίας ὄφελος....*

‚Nam cui bono foret praesentia mea....'

Hoc etiam loco Dio vocula *ἐπιδημίας* usus se iterum patriam esse relicturum videtur significare.

VII. 49,15. *ἀλλὰ τὸ ἀεὶ πλείους ἀσχολίας καταλαβεῖν μέχρι τοῦδε οὐχ ἑκόντα με κατέσχηκεν..... οὔτε γὰρ ἐμοὶ οὔτε ἴσως ὑμῖν ἄμεινόν ἐστιν ἐμὲ διατρίβειν ἐνθάδε.*

‚sed quod maiora mihi semper negotia suscipienda erant, invitus usque ad hoc tempus retentus sum..... neque enim mihi, neque vobis fortasse utilius est me hic versari.'

Ergo ex hac quoque oratione constat Dionem de altera peregrinatione cogitare, quia molestias Prusenses atque negotia [*τὸ ἀεὶ πλείους ἀσχολίας καταλαβεῖν*] effugere volebat [*ἐμοὶ .... ἄμεινόν ἐστιν*] simulque discimus eum usque ad id tempus, quo hanc orationem habuit, Prusae moratum esse. Quodsi addit *οὔτε ἴσως ὑμῖν* hoc certo explicari nequit. Cogitari enim potest de difficultatibus ipsi senatui — nam in senatu habita est oratio — Dioni amicissimo ortis, quae discessu eius removeantur. An indicant haec verba Dionem nova privilegia patriae quaesiturum Romam profectum esse?

VIII. 50,7. *ἐγὼ μὲν γὰρ ἄπειμι διὰ πολλὰς αἰτίας.*

‚abeo enim multis de causis.'

De quo loco post ea, quae exposui, nihil habeo, quod addam.

Videmus igitur Dionem, cum orationes 44 et 40 scriberet, non cogitasse de patria iterum relinquenda, immo magnopere succensuisse adversariis, quorum opera paene iterum exsulare coactus erat. Sed inde ab oratione 43, ubi-

---

49,15. 1. *ἀλλὰ τὸ ἀεὶ* Reiske. *ἀλλ' ἀεὶ* rel. — *ἀσχολίας. ἀσχολίαι* B. M. — *καταλαβεῖν* Reiske. *καταλιπεῖν* rel., quod depravatum esse indicabat Casaub.

50,7. *ἄπειμι. εἴποιμι B. ἀπεῖπον* Geel.

cumque de sua Prusae commoratione dicit, voce utitur ,ἐπιδημία', unde patet a consilio illo manendi eum recessisse. Diversa autem ratione de hac re loquitur. In oratione 43 adversariis videtur irasci, qui invitum expellant. In oratione 45 tantummodo se abiturum esse sine ira Dio proclamat. Idem dicit in oratione 47. An videtur eo compellere auditores, ut desinant ipsum vexare? Sentire videmur Dionem fortasse de sententia decessurum esse, quae contra 50, 7 ita videtur stare, quasi tempus profectionis eius constitutum sit.

Hoc igitur certum est de ipsa profectione ex his orationibus nihil posse concludi: utrum re vera Dio Prusam reliquerit, nescimus. Illud autem, quod in eisdem orationibus sibi videntur legisse viri docti Dionem a civibus expulsum esse, plane est fictum.

Vita.

Natus sum ego Wilhelm Peter Adolf Clausen Tychopoli Holsatiae die IV. mens. Sept. a. 1867 patre Friderico Ottone, tunc compastore ecclesiae Tychopolitanae simulque advocato in summum Holsatiae consistorium, nunc Doctore theologiae, a consiliis Regii consistorii Kiliensis, pastore ecclesiae in vico Bruegge, matre Therese de gente Soerensen. Fidem profiteor Lutheranam. Litterarum primitiis et a patre et in ludo privato, qui tunc Brueggae erat, imbutus gymnasia frequentavi Plunense et Haderslebense. Ex eorum autem numero, quorum disciplina usus sum, quamquam omnibus semper gratias habebo, tamen nominandi sunt L. Siemonsen et K. Goecker, quorum humanitate non minimam partem commotus sum, ut me philologiae devoverem. Imprimis vero me beneficiis cumulavit P. H. Jessen, vir mira quadam pietate, amore patriae, doctrina, humanitate, comitate praeditus, qui tunc director gymnasii Haderslebensis patris instar et disciplina et domestica consuetudine animum meum ad humaniora studia excitavit et postea Kiliae otium agens benevolentissime studia illa mea prosecutus est, donec exacta aetate, mihi tamen mature, e vita decessit. At gratias, quas viro excellentissimo debeo, a me nunquam expleri posse confiteor.

Maturitatis testimonio instructus ab anno 1887 Kiliae duo, Gottingae unum semestre classicis et theologicis studiis operam navavi. Deinde, cum Novimonasterii annua stipendia meruissem, Kiliam reversus per octo semestria bis exercitationibus militaribus interrupta studia continuavi. Sodalis

fui proseminarii Kiliensis per tria, Gottingensis per unum semestre, seminarii Kiliensis per quinque semestria. Praeterea exercitationibus philosophicis interfui, quas instituerunt Deussen et Glogau, quem nuper subita et lugubri morte patriae et litteris ereptum esse summopere doleo. Docuerunt me viri docti Blass, Bruns, Busolt, Cauer, Deussen, Forchhammer (†), Foerster, Glogau (†), Klostermann, Wilh. Meyer, Moeller (†), Nic. Moeller, Rossbach, Sauppe (†), Schoene, v. Wilamowitz-Moellendorff, quibus hoc loco gratias ago quam maximas. Extrema tria semestria domi moratus sum huic dissertationi componendae operam exhibens; examen rigorosum superavi die II. mens. Aug. huius anni. Revocavit autem J. Bruns me ad Dionem Chrysostomum et me studiis illis incumbentem liberalissime opera et consilio adiuvit, neque unquam mihi defuit. Pro qua benevolentia meum erit semper gratum me praestare.

Theses.

I.

In Dionis Chrys. or. 36. § 26 ed. Emp. lego: ***καίτοι ἴσως ἄτοπον βαρβαριζόν τ ω ν τῶν πολιτῶν μάλιστα τῷ ἑλληνικωτάτῳ καὶ τ ῷ σοφωτάτῳ χαίρειν*** sq. [codd.: ***βαρβαρίζοντα — καὶ σοφωτάτῳ***].

II.

Perperam versus Bionis Epit. Ad. 13 et 14 ab Ahrensio et Zieglero e textu contendo remotos esse.

III.

Iniuria Schrader et Riese in versu corrupto Ovid. Trist. II, 191 Neurorum mentionem fieri coniciunt.

IV.

In Ovidii Trist., Ib., ep. e. P. verba adiectiva T h r a c i u s et T h r e i c i u s significatione aliquantulum diversa videntur mihi adhiberi.